





PETRONIUS
et Priapeia
348
D 30









PRIAPEIA,

SIVE

DIVERSORUM

POETARUM

IN

PRIAPUM LUSUS.

JOSEPHUS SCALIGER.

Scripſerunt hujus argumenti poëmatia plures veterum, Catullus, Tibullus, Ovidius, Petronius Arbiter, alii. Itaque ex eorum epigrammatis totus hic liber concinnatus eſt, & conflatus ab eo qui epigramma illud libro præpoſuit, *Carminis incompti*, &c.

DIVERSORUM POETARUM IN PRIAPUM LUSUS.

Ad Lectorem.



Arminis incompti lusus lecture procaces,
Conveniens Tatio pone supercilium.
Non Soror hoc habitat Phœbi, non Vesta sacello,
Nec quæ de patrio vertice nata Dea est:
Sed ruber hortorum custos membrosior æquo,
Qui tectum nullis vestibus inguen habet.
Aut igitur tunicam parti prætende tegendæ,
Aut quibus hanc oculis adspicis, ista lege.

CARMEN. I.
AD PRIAPUM.

LUdens hæc ego teste te, Priape,
Horto carmina digna, non libello,
Scripsi non nimium laboriose.
Nec Musas tamen, ut solent Poëtæ,
Ad non virgineum locum vocavi.
Nam sensus mihi corque defuisset,
Castas Pieridum chorum sorores
Auso ducere mentulam ad Priapi.
Ergo quidquid id est, quod otiosus
Templi parietibus tui notavi,
In partem accipias bonam rogamus.

II. PRIAPUS.

OBscure poteram tibi dicere, da mihi, quod tu
Des licet assidue, nil tamen inde perit.
Da mihi quod cupies frustra dare forsitan olim,
Cum tenet obsessas invida barba genas,

Quod-

Quodque Iovi dederat, qui raptus ab alite ſacra,
Miſcet amatori pocula grata ſuo:
Quod virgo prima cupido dat nocte marito,
Dum timet alterius vulnus inepta loci.
Simplicius multo eſt, da pædicare Latine
Dicere, quid faciam? craſſa Minerva mea eſt.

III. AD PRIAPUM.

O *Bſcœnis rigido deo tabellas*
Ducens ex Elephantidos libellis
Dat donum Lalage, rogatque tentes,
Si pictas opus edat ad figuras.

IV. DE PRIAPO.

Q*Uam puero legem fertur dixiſſe Priapus,*
Verſibus hic infra ſcripta duobus erit;

Quod meus hortus habet, ſumas impune licebit;
Si dederis nobis quod tuus hortus habet.

V. PRIAPUS.

QUod ſum ligneus, ut vides, Priapus,
Et falx lignea, ligneuſque penis;
Prendam te tamen, & tenebo prenſam:
Totamque hanc ſine fraude, quantacunque eſt,
Tormento citharaque tenſiorem,
Ad coſtam tibi ſeptimam recondam.

VI. PRIAPUS.

CUm loquor, una mihi peccatur litera, nam præ,
Pæ, dico ſemper, blæſaque lingua mea eſt.

VII. PRIA-

VII. PRIAPUS.

Matronæ procul hinc abite castæ:
Turpe est vos legere impudica verba.
Non assis faciunt: euntque recta:
Nimirum sapiunt, videntque magnam
Matronæ quoque mentulam libenter.

VIII. PRIAPUS.

Cur obscœna mihi pars sit sine veste, requiris,
Quæro, tegat nullus cur sua signa deus?
Fulmen habet mundi dominus, tenet illud aperte:
Nec datur æquoreo fuscina tecta deo.
Nec Mavors illum per quem valet, occulit ensem:
Nec latet in tepido Palladis hasta sinu.

Num pudet auratas Phœbum portare sagittas?
Clamve solet pharetram ferre Diana suam?
Num tegit Alcides nodosæ robora clavæ?
Sub tunica virgam num deus ales habet?
Quis Bacchum gracili vestem prætendere thyrso,
Quis te celata cum face vidit Amor?
Nec mihi sit crimen, quod mentula semper aperta est:
Hoc mihi si telum desit, inermis ero.

IX. PRIAPUS.

INsulsissima quid puella rides?
Non me Praxiteles, Scopasve fecit:
Nec sum Phidiaca manu politus:
Sed lignum rude villicus dolavit:
Et dixit mihi, tu Priapus esto.
Spectas me tamen & subinde rides.

Nimi-

Nimirum tibi ſalſa res videtur,
Adſtans inguinibus columna noſtris.

X. PRIAPUS.

NE prenſere cave: prenſo nec fuſte nocebo:
Sæva nec incurva vulnera falce dabo.
Trajectus conto ſic extendêre pedali:
Vt culum rugas non habuiſſe putes.

XI. PRIAPUS.

QVædam ſerior Hectoris parente,
Cumææ ſoror, ut puto, Sibyllæ,
Æqualis tibi, quam domum revertens
Theſeus repperit in rogo jacentem,
Infirmo ſolet huc gradu venire:
Rugoſaſque manus ad aſtra tollens,
Ne deſit ſibi mentulam rogare.
Heſterna quoque luce, dum precatur,
Dentem de tribus excreavit unum.

Tolle, inquam, procul, ac jube latere
Scissa sub tunica, stolâque rufa,
Vt semper soiet, & timere lucem,
Qui tanto patet indecens hiatu,
Barbato macer eminente naso,
Vt credas Epicuron oscitari.

XII. PRIAPUS.

PÆdicere puer, moneo: futuere puella:
Barbatum furem tertia pœna manet.

XIII. PRIAPUS.

HUc huc, quisquis es, in Dei salacis
Diverti grave ne puta sacellum.
Et si nocte fuit puella tecum,
Hac re quòd metuas adire, non est,
Istuc Cœlitibus datur severis.
Nos vappæ sumus & pusilla culti
Ruris numina: nos pudore pulso
Stamus sub Iove coleis apertis.
Ergo quilibet huc licebit intret,
Nigra fornicis oblitus favilla.

XIV. PRIAPUS.

Commisso mihi non satis modestas
Quicunque attulerit manus agello:
Is me sentiet esse non spadonem.
Hic inter frutices loco remoto
Dicat forsitan hæc sibi ipse: nemo
Præcisum sciet esse me, sed errat:
Magnis testibus ista res agetur.

XV. AD PRIAPUM.

Qualibus Hippomenes cepit Schœneida pomis:
Qualibus Hesperidum nobilis hortus erat:
Qualia credibile est spatiantem rure paterno,
Nausicaam pleno sæpe tulisse sinu:
Quale fuit malum, quod litera pinxit Acontī,
Qua lecta, cupido pacta puella viro est:

Ta-

Taliacumque puer dominus florentis agelli
Imposuit mensæ nude Priape tuæ.

XVI. PRIAPUS.

QUid mecum tibi circitor moleste?
Ad me quid prohibes venire furem?
Accedat sine: laxior redibit.

XVII. PRIAPUS.

COmmoditas hæc est in nostro maxima pene,
Laxa quod esse mihi femina nulla potest.

XVIII. AD PRIAPUM.

EC quando Thelethusa circulatrix
Quæ clunem tunica tegente nulla
Extis aptius, altiusque motat,
Crissabit tibi fluctuante lumbo:
Sic ut non modò te Priape posset,
Privignum quoque sed movere Phædra.

XIX. PRIA-

XIX. PRIAPUS.

FUlmina ſub Iove ſunt: Neptuni fuſcina telum:
Enſe potens Mars eſt: haſta, Minerva, tua eſt.
Sutilibus Liber committit prælia thyrſis:
Fertur Apollinea miſſa ſagitta manu.
Herculis armata eſt invicta dextera clava:
At me terribilem mentula tenta facit.

XX. AD PRIAPUM.

COpia me perdit: tu ſuffragare rogatus,
Indicio nec me prode, Priape, tuo.
Hæc quæcunque tibi poſui vernacula poma,
De ſacra nulli dixeris eſſe via.

XXI. PRIAPUS.

FEmina si furtum facit mihi, virque, puerque:
Hæc cunnum, caput hic præbeat, ille nates.

XXII. PRIAPUS.

QVicunque hic violam, rosamve carpet,
Furtivumve olus, aut inempta poma:
Defectus pueroque feminaque,
Hac tentigine, quam videtis in me,
Rumpatur precor usque, mentulaque
Nequidquam sibi pulset umbilicum.

XXIII. PRIAPUS.

HIc me custodem fecundi villicus horti.
Mandati curam jussit habere loci.

Fur

Fur habeas pœnam, licet indignere, feramque
Propter olus, dicas, hoc ego, propter olus?

XXIV. PRIAPUS.

HOc sceptrum, quod ab arbore ut recisum est
Nulla jam poterit virere fronde:
Sceptrum, quod pathicæ petunt puellæ:
Quod quidam cupiant tenere Reges:
Cui dant oscula nobiles cinædi:
Intra viscera furis ibit usque
Ad pubem, capulumque coleorum.

XXV. PRIAPUS.

POrro (nam quis erit modus Quirites?)
Aut præcidite seminale membrum,
Quod totis mihi noctibus fatigant
Vicinæ sine fine prurientes,
Vernis passeribus salaciores:

Aut rumpar: nec habebitis Priapum
Ipsi cernitis exfututus ut sim,
Confectusque, macerque pallidusqu
Qui quondam ruber, & valens so-
lebam
Fures cædere quamlibet valentes.
Defecit latus, & periculosam
Cum tussi miser exspuo salivam.

XXVI. AD PRIAPUM

DElicia populi magno notissima
circo
Quinctia vibratas docta move
nates:
Cymbala cum crotalis, prurigini
arma, Priapo
Ponit, & adducta tympana puls
manu.
Pro quibus, ut semper placeat spe-
ctantibus, orat,
Tentaque ad exemplum sit su
turba Dei.

XXVII. PRIAPVS.

TV, qui non bene cogitas, & agrè,
Carpendo tibi temperas ab horto:
Pædicabere fascino pedali.
Quod si tam gravis, & molesta pœna
Non profecerit: altiora tangam.

XXVIII. AD PRIAPVM.

OBscœnis peream, Priape, si non
Vti me pudet, improbisque verbis:
Sed cum tu posito deus pudore
Ostendas mihi coleos patenteis,
Cum cunno mihi mentula est vocanda.

XXIX. AD PRIAPUM.

FAlce minax & parte tui majore, Priape:
Ad fontem, quæso, dic mihi, qua sit iter.

XXX. PRIAPUS.

VAde per has viteis, sed si quam capseris uvam,
Quas aliter sumas, hospes, habebis aquas.

XXXI. PRIAPUS.

DOnec proterva nil mihi manu carpes,
Licebit ipsa sis pudicior Vesta:
Sin, hæc mei te ventris arma laxabunt,
Exire ut ipsa de tuo queas culo.

XXXII. PRIAPUS.

UVis aridior puella passis,
Buxo pallidior, novaque cera,
Collatas sibi quæ, suisque membris
Formicas facit altiles videri:
Cujus viscera aperta Tuscus
Per pellem poterit videre haruspex.
Quæ succo caret, atque petra pumex,

Nemo.

Nemo viderit hanc ut expuentem:
Quam pro ſanguine pulverem, ſcobemque
In venis medici putant habere:
Ad me nocte ſolet venire: & affert
Paliorem, maciemque larvialem.
Ductor ferreus inſularis, æque
Laternæ videor fricare cornu.

XXXIII. PRIAPUS.

NAjadas antiqui, Drydaſque habuere Priapi:
Et, quo tenta Dei vena ſubiret, erat.
Nunc adeo nihil eſt, adeo mea plena libido;
Ut Nymphas omneis interiiſſe putem.
Turpe quidem fatu, ſed ne tentigine rumpar,
Falce manu poſitâ fiet amica manus.

XXXIV. AD PRIAPUM

CUm ſacrum fieret Deo ſalaci,
Conducta eſt pretio puella parvo.
Communis ſatis omnibus futura;
Quæ quot nocte viros peregit una,
Tot verpas tibi dedicat ſalignas.

XXXV. PRIAPUS.

PÆdicabere fur ſemel: ſed idem
Si prenſus fueris bis, irrumabo.
Quod ſi tertia furta molieris:
Vt pœnam patiare & hanc, & illam,
Pædicaberis irrumaberiſque.

XXXVI. PRIAPUS.

NOtas habemus quiſque corporis formas.
Phœbus comoſus: Hercules lacertoſus:

Tra-

Trahitque Bacchus virginis tener
formam:
Minerva flavo lumine eſt: Venus
paeto:
Frontem cruentos Arcadas vides
Faunos:
Habet decenteis nuncius deûm
plantas:
Tutela Lemni diſpares movet greſ-
ſus,
Intonſa ſemper Æſculapio barba
eſt:
Nemo eſt feroci pectoroſior Marte:
Quod ſi quis inter hac locus mihi re-
ſtat,
Deus Priapo mentulatior non eſt.

XXXVII. VOTI SOLUTIO.

CVr pictum memori ſit in tabella
Membrum quaritis, unde pro-
creamur.
Cum penis mihi forte læſus eſſet,
Chirurgique manum miſer time-
rem:
Diis me legitimis, nimiſque magnis,

Vt Phœbo, puta, filioque Phœbi
Curatum dare mentulam verebar.
Huic dixi, fer opem, Priape, parti,
Cujus tu, pater, ipse par videris,
Qua salva sine sectione facta,
Ponetur tibi picta, quam levaris,
Compar, consimilisque, concolorque.
Promisit fore: mentulamque movit
Pro nutu deus, & rogata fecit.

XXXIIX. PRIAPUS.

SImpliciter tibi me, quodcunque est, dicere oportet:
Natura est quoniam semper aperta mihi.
Pædicare volo: tu vis decerpere poma.
Quod peto, si dederis: quod petis, accipies.

XXXIX. PRIAPUS.

FOrma Mercurius potest placere:
Forma conspiciendus est Apollo,
Formosus quoque pingitur Lyæus:
For-

Formosissimus omnium est Cupido.
Me pulcra fateor carere forma:
Verum mentula luculenta nostra
est:
Hanc mavult sibi, quam Deos priores,
Si qua est non fatui puella cunni.

XL. AD PRIAPUM.

NOta Suburanas inter Telethusa puellas,
Quæ puto de quæstu libera facta suo est:
Cingit inaurata penem tibi sancte corona:
Hunc pathicæ summi Numinis instar habent.

XLI. PRIAPUS.

QVisquis venerit huc, poëta fiat,
Et versus mihi dedicet jocosos.
Qui non fecerit: inter eruditos
Ficosissimus ambulet poëtas.

XLII. AD PRIAPUM.

L*Ætus Aristagoras natis bene villicus uvis*
De cera facta dat tibi poma Deus,
At tu sacrati contentus imagine pomi,
Fac veros fructus ille, Priape, ferat.

XLIII. PRIAPUS.

N*Olite omnia, quæ loquor, putare,*
Per lusum mihi, per jocumque dici.
Deprehensos ego, ter quaterque fures
Omnes ne dubitetis, irrumabo.

XLIV. PRIAPUS.

V*Elle quid hanc dicas, quamvis sim ligneus, hastam:*
Oscula dat medio siqua puella mihi?
Augure non opus est: in me, mihi credite, dixit,
Vtetur veris usibus hasta rudis.

XLV.

XLV. PRIAPUS.

CVm quendam rigidus Deus videret
Ferventi caput ustulare ferro,
Vt Mauræ similis foret puellæ:
Heus, inquit, tibi dicimus cinæde,
Vras te licet usque, torqueasque:
Num tandem prior est puella, quæso,
Quam sunt, mentula quos habet, capilli?

XLVI. PRIAPUS.

O non candidior puella Maura,
O sed mollior omnibus cinædis,
Pygmæo brevior gruem timenti,
Vrsis asperior, pilosiorque,
Medis laxior, Indicisque braccis,
Mandes hic licet, ut libenter ires.
Nam quamvis videar satis paratus,
Erucarum opus est decem maniplis,
Fossas inguinis ut teram, dolemque
Cunni vermiculos scaturienteis.

XLVII. PRIAPUS.

QVicumque vestrum qui venitis ad Cœnam,
Libare nullos sustinet mihi versus:
Illius uxor, aut amica, rivalem
Lasciviendo languidum, precor, reddat,
Et ipse longa nocte dormiat solus,
Libidinosis incitatus erucis.

XLVIII. PRIAPVS.

QVod partem madidam mei videtis,
Per quam significor Priapus esse:
Non ros est, mihi crede, nec pruina:
Sed quod sponte sua solet remitti,
Cum mens est pathicæ memor puellæ.

XLIX. PRIAPVS.

TV quicunque vides circa tectoria nostra
Non nimium casti carmina plena joci.

Ver-

Versibus obscœnis offendi desine: non est
Mentula subducti nostra supercilii.

L. AD PRIAPVM.

QVædam, si placet hoc tibi, Priape,
Ficosissima me puella ludit:
Et non dat mihi, nec negat daturam:
Causasque invenit usque differendi.
Quæ si contigerit fruenda nobis:
Totam cum paribus, Priape, nostris
Cingemus tibi mentulam coronis.

LI. PRIAPVS.

QVid hoc negoti est, quave suspicer causa
Venire in hortum plurimos meum fures,
Cum quisquis in nos incidit, luat pœnas;
Et usque curvos excavetur ad lumbos?

Non ficus hic eſt præferenda vicinæ,
Vvaque, quales flava legit Arete:
Non mala truncis aſſerenda Picenis.
Pyrumve, tanto quod periculo ca-
ptes;
Magiſque cera luteum nova pru-
num,
Sorbumve ventres lubricos moratu-
rum.
Præſigne rami nec mei ferunt mo-
rum.
Nucemve longam, quam vocant
avellanam,
Amygdalumve flore purpureo ful-
gens. *(les,*
Non braſſicarum fero guloſior cau-
Betaſve, quantas hortus educat
nullus,
Creſcenſve ſemper in ſuum caput
porrum:
Nec ſeminoſas ad cucurbitas quen-
quam,
Ad ocymumve cucumereſve humi
fuſos,
Venire credo, ſeſſileſve lactucas.
Nec ut ſalaces nocte tollat erucas,
Men-

Mentamque olentem, cum salubribus rutis:
Acresque capas, alliumque fibratum.
Quæ cuncta nostro ut ambiamus in septo.
Non pauciora proximi ferunt horti,
Quibus relictis, in mihi laboratum
Locum venitis, improbissimi fures.
Nimirum apertam convolatis ad pœnam:
Et vos hoc ipsum, quod minamur, invitat.

LII. PRIAPVS.

HEus tu, non bene qui manum rapacem
Mandato mihi contines ab horto:
Iam primum stator hic libidinosus
Alternis ineundo & exeundo
Porta te faciet patentiorem.
Accedunt duo, qui latus tuentur,
Pulchre pensilibus peculiati.
Qui cùm te malè foderint jacentem,

Ad

Ad partem veniet salax asellus,
Nihilo deterius mutoniatus.
Quare, qui sapiet, malum cavebit,
Cum tantum hic sciet esse mentu-
larum.

LIII. AD PRIAPVM.

Contentus modico Bacchus solet esse racemo:
Cum capiant alti vix sua musta lacus.
Magnaque fecundis cum messibus area desit,
In Cereris crines una corona datur.
Tu quoque Dive minor majorum exempla secutus;
Quamvis pauca damus, consule poma boni.

LIV. PRIAPVS.

E, D, si scribas, temonemque insuper addas:
Qui medium vult D scindere, pictus erit.

LV. PRIAPVS.

CRedere quis posset, falcem quoque, turpe fateri,
De digitis fures surripuisse meis?
Nec movet amissi tam me jactura, pudorque,
Quam præbent justos altera tela metus.
Quæ si perdidero patria multabor, & olim
Ille tuus civis, Lampsace, Gallus erit.

LVI. PRIAPVS.

DErides quoque fur, & impudicum
Ostendis digitum mihi minanti,
Eheu me miserum quod ista lignum est,
Quæ me terribilem facit videri.
Mandabo domino tamen salaci,
Ut pro me velit irrumare fures.

LVII. PRIAPVS.

COrnix, & caries, vetusque bustum,
Turba & putrida facta seculorum,
Quæ forsan potuisset esse nutrix
Tithoni, Priamique, Nestorisque
Illis ni pueris anus fuisset.
Ne desit sibi, me rogat, fututor.
Quid si nunc roget, ut puella fiat?
Si nummos tamen hæc habet, puella est.

LIIX. PRIAPVS.

QVicunque fur fefellerit fidem nostram,
Effeminato marceat procul culo.
Quæque hæc proterva carpserit manu poma
Puella, nullum inveniat fututorem.

LIX. PRIAPVS.

PRædictum tibi ne negare possis,
Si fur veneris impudicus ibis.

LX. AD

LX. AD PRIAPVM.

SI quot habes versus: tot haberes poma, Priape:
Esses antiquo ditior Alcinoo.

LXI. AD PRIAPVM.

QVid frustra quereris, colone, mecum,
Quod quondam bene fructuosa malus,
Auctumnis sterilis duobus adstem?
Non me prægravat, ut putas, senectus,
Nec sum grandine verberata dura,
Nec gemmas modo germine exeunteis
Seri frigoris ustulavit aura,
Nec venti, pluviæve, siccitasve,
Quod de se quererer, malum dederunt:
Non sturnus mihi, graculusve raptor,
Aut cornix anus, aut aquosus anser,

Aut corvus nocuit ſiticuloſus :
Sed quod carmina peſſimi poëtæ
Ramis ſuſtineo laborioſis.

LXII. PRIAPVS.

SEcuri dormite canes, cuſtodiet hortum
Cum ſibi dilecta Seirius Erigone.

LXIII. RIAPUS.

PArum eſt, amici, fixerim quod hic ſedem,
Agente terra per Caniculam rimas,
Siticuloſam ſuſtinens diu æſtatem.
Parum, quod imi perſluunt ſinus imbres :
Et in capillos grandines cadunt noſtros :
Rigetque cruda barba vincta cryſtallo.
Parum, quòd acta ſub laboribus (luce,
Parem diebus pervigil traho noctem.
Huc adde, quod me terribilem deum fuſte

Ma-

Manus ſine arte ruſticæ dolaverunt,
Interque cunctos vilius deos numen
Cucurbitarum ligneus vacor cuſtos.
Accedit iſtis impudentiæ ſignum,
Libidinoſo tenta pyramis nervo:
Ad hanc puella (pene nomen adjeci)
Solet venire cum ſuo fututore:
Quo tot figuras, quot Philænis invenit,
Non admovente, pruriofa diſcedit.

LXIV. PRIAPUS.

QVidem mollior anſeris medulla,
Furatum venit huc amore pœna
Furetur licet uſque non videbo.

LXV. AD PRIAPUM.

HIc tibi, qui roſtro creſcentia lilia merſit,
Cæditur è tepida victima porcus hara.

Ne tamen exanimum facias pecus omne, Priape:
Horti sit facies janua clausa tui.

LXVI. PRIAPVS.

TV *quæ, ne videas notam virilem,*
Hinc averteris, ut decet pudicam:
Nimirum, nisi quod times videre
Intra viscera habere concupiscis.

LXVII. PRIAPVS.

PEnelopes primam DIdonis prima sequatur,
Et primam CAni *syllaba prima* REmi,
Quodque fit ex illis, mihi tu deprensus in horto
Fur dabis: hac pœna culpa luenda tua est.

LXVIII. PRIAPVS.

RVsticus indocte si quid dixisse videbor,
Da veniam: libros non lego, poma lego.
Sed rudis hic dominum toties audire legentem
Institi, Homeriacas edidicique (notas.
Psoleon ille vocat quod nos Psoloenta vocamus:
Id quod nos culum, culeon ille vocat.
Smerdaleos certe nisi res non munda vocatur,
Et pædiconum mentula smerdalea est.

LXIX. PRIAPVS.

QVid? nisi Tænario placuisset Troica cunno
Mentula, quod caneret, non habuisset opus.
Mentula Tantalidæ bene si non nota fuisset,
Nil, senior Chryses quod quereretur, erat.

Hæc eadem socium tenera spoliavit amica,
Quæque erat Æacidæ, maluit esse suam.
Ille Pelethroniam cecinit miserabile carmen
Ad citharam, cithara, tensior ipse sua.
Nobilis hinc nata nempe incipit Ilias ira:
Principium sacri carminis illa fuit.
Altera materia est error fallentis Vlyssei,
Si verum quæras, hunc quoque movit amor.
Hinc legitur radix de qua flos aureus exit:
Quem cum moly vocat, mentula moly fuit.
Hinc legimus Circen, Atlantiademque Calypso
Grandia Dulichii jussa tulisse viri.
Hujus & Alcinoi mirata est filia membrum
Frondenti ramo vix potuisse tegi.

Ad vetulam tamen ille ſuam properabat, & omnis
Mens erat in cunno Penelopeja tuo.
Quæ ſic caſta manes, ut jam convivia viſas:
Utque fututorum ſit tua plena domus.
E quibus ut ſcires quicunque valentior eſſet:
Hæc es ad arrectos verba locuta procos:
Nemo meo melius nervum tendebat Ulyſſe:
Sive illi laterum, ſeu fuit artis opus.
Qui quoniam periit, modo vos intendite, qualem
Eſſe virum ſciero, vir ſit ut ille meus.
Hac ego Penelope potui tibi lege placere:
Illo ſed nondum tempore factus eram.

LXX. PRIAPVS.

CUm fici tibi suavitas subibit,
Et jam porrigere huc manum libebit:
Ad me respice, fur & æstimato,
Quot pondo tibi mentula est cacanda.

LXXI. PRIAPVS.

ILlusit mihi pauper inquilinus,
Qui libum dederat, molamque fusam,
Quare partibus additis in ignem
Sacro protinus hinc abit peracto.
Vicini canis huc subinde venit,
Nidorem puto prosecuta fumi:
Quæ libamine mentulæ comeso,
Tota nocte mihi litat rigendo.
At vos amplius hoc loco cavete
Quidquam ponere, ne famelicorum
Ad me turba velit canum venire:
Ne dum me colitis meumque numen,
Custodes habeatis irrumatos.

LXXII.

LXXII. PRIAPVS.

SI commiſſa meæ carpes pomaria curæ:
Dulcia quid doleam perdere, doctus eris.

LXXIII. AD PRIAPVM.

POmarii tutela diligens, rubro
Priape furibus minare mutino.

LXXIV. PRIAPVS.

QUod movear non eſt: quia ſi furaberis ipſe
Grandia mala, tibi μακρὰ βραχεῖα dabo.

LXXV. PRIAPVS.

OBliquis pathicæ quid me ſpectatis ocellis?
Non ſtat in inguinibus mentula tenta meis.

Quæ

Quæ tamen exanimis nunc est, & inutile lignum:
Vtilis hæc, aram si dederitis, erit.

LXXVI. PRIAPVS.

PEr medios ibit pueros, mediasque puellas
Mentula: barbatis non nisi summa petet.

LXXVII. AD PRIAPVM.

DOdona est tibi Jupiter sacrata,
Junoni Samos, & Mycena Diti:
Vndæ Tænaros æquorisque Regi.
Pallas Cecropias tuetur arces:
Delphos Pythius orbis umbilicum:
Creten Delia, Cynthiosque colleis:
Faunus Mænalon, Arcadumque silvas.
Est tutela Rhodos beata Solis:
Gades Herculis, humidumque Tibur:
Cyllene celeri Dei nivosa:
Tardo gratior æstuosa Lemnos.

Ennææ Cererem nurus frequentant:
Raptam Cyzicos oſtreoſa Divam:
Formoſam Venerem Cnidos, Paphoſque.
Mortales tibi Lampſacum dicarunt.

LXXIIX. PRIAPVS.

QVod ſim jam ſenior, meumque canis
Cum barba caput albicet capillis:
Deprenſos ego perforare poſſum
Tithonum, Priamumque, Neſtoremque,
Immanem ſtomachum mihi videtis,
Qui denſam facitis ſubinde ſepem,
Et fures prohibetis huc adire.
Hoc eſt lædere, dum juvatis; hoc eſt
Non admittere ad aucupem volucres.
Obſtructa eſt via: nec licet jacenti
Jactura natis expiare culpam.
Ergo qui prius uſque & uſque & uſque
Furum ſcindere podices ſolebam,
Per

Per noctes aliquot, diesque cesso:
Pœnas do quoque, quod satis, superque est,
In semenque abeo, salaxque quondam
Non vitam perago. quis hoc putaret,
Vt lusu citharœdus abstineret?
At vos ne peream situ senili,
Quæso desinite esse diligentes,
Neve imponite fibulam Priapo.

LXXIX. PRIAPVS.

AT dii, deæque dentibus tuis escas
Negent amicas cunnilinge vicine,
Per quem puella fortis ante, nec mendax,
Et quæ solebat impigro celer passu
Ad nos venire: nunc misella Labdace
Vix posse jurat ambulare præ fossis.

LXXX. AD PRIAPVM.

PRiape, quod ſis faſcino gravis tento,
Quod exprobravit hic tibi ſuo verſu
Poëta noſter: erubeſcere hoc noli.
Non es Poëta faſcinoſior noſtro.

LXXXI. AD PRIAPVM.

AT non longa ſatis non ſtat bene mentula craſſa,
Et quam ſi tractes, creſcere poſſe putes.
Me miſerum cupidas fallit menſura puellas,
Non habet hæc aliud mentula majus eo.
Vtilior Tydeûs, qui ſi quid credis Homero,
Ingenio pugnax, corpore parvus erat.
Sed potuit damno nobis novitaſque, pudorque
Eſſe: repellendus ſæpius iſte mihi.

LXXXII.

LXXXII. AD PRIAPVM.

DVm vivis, ſperare decet: tu ruſtice cuſtos
Huc ades, & nervis tente Priape fave.

LXXXIII. AD PRIAPVM.

VIllicus ærari quondam, nunc cultor agelli,
Hæc tibi Perſpectus templa, Priape, dico.
Pro quibus officiis ſi fas eſt, ſancte paciſcor,
Aſſiduus cuſtos ruris ut eſſe velis:
Improbus ut ſi quis noſtrum violarit agellum:
Hunc tu; ſed taceo. ſcis puto, quod ſequitur.

LXXXIV. Albii Tibulli de inertia inguinis.

AD PRIAPVM.

QVid hoc novi eſt? quid ira nuntiat Deûm?
Silente nocte candidus mihi puer
Tepente cum jaceret abditus ſinu,
Venus fuit quieta, nec viriliter
Iners ſenile penis extulit caput.
Placet Priape? qui ſub arboris coma
Soles ſacrum revincte pampino caput
Ruber ſedere cum rubente faſcino.
At ô Tripalle ſæpe floribus novis
Suas ſine arte deligavimus comas:
Abegimuſque voce ſæpe, cum tibi
Senexve corvus, impigerve graculus
Sacrum feriret ore corneo caput.
Vale Priape: debeo tibi nihil.
Vale nefande deſtitutor inguinum,
Jacebis inter arva pallidus ſitu,

Canisve sævus usque minget, aut tibi
Aper fricabit oblitum latus luto.
Sceleste penis, ô cui meum malum
Gravi, piaque lege noxiam lues!
Licet querare nec tibi tener puer
Patebit ullus ingemente qui toro
Juvante verset arte mobilem natem.
Puella nec jocosa te levi manu
Fovebit, apprimetve lubricum femur.
Bidens amica Romuli senis memor
Paratur: inter atra cujus inguina,
Vagaque pelle, tectus inguinum gelu
Araneosus obsidet fores situs.
Tibi hæc paratur: ut tuum ter, & quater
Voret profunda fossa lubricum caput
Licebit æger, aut languentior cubes,
Tereris usque, donec ah miser, miser
Triplexque, quadruplexque compleas specum.

Super-

Superbia ista proderit nihil: simul
Vagum sonante merseris caput luto.
Quid est iners pigetne lentitudinis?
Licebit hoc inultus auferas semel.
Sed ille cum redibit aureus puer:
Simul sonanti senseris iter pede:
Repente nervos excitet libidine
Et inquietus inguina arrigat tumor:
Neque incitare cesset, usque dum mihi
Venus jocosa molle ruperit latus.

PRIAPEIUM.

Albii Tibulli Equitis Romani,

Totidem Iambis puris Græce.

Ἔα τί χρῆμα; τί χρέος θεόσυλον;
Ἐμοὶ μετ᾽ ἄρτι πρῶτα παιδικῶν κόρος
Ἀωρὶ νυκτὸς ἀγρεὺς ἀμφεθάλπετο·
Φλῆλος ἦν μὲν ἔργον οὐδέν. οὐδ᾽ ἅμα
Ἄκικυς ἀντάειρε συντονον κέρα.
Ἀληθὲς ὦ Πρίηπ᾽ ὃς ἐν δρυὸς σκιᾷ
Ἐρυθρὸς ἐξέρυθρον δι᾽ ἐστατὴς πέπλος
Κάθῃ, πυκαστὸς ἀμπελοστερὲς κάρα;
Τρίφαλλε, σοὶ δὲ πῆ μὲν ἀνθέμων φόβη
Ἔδησε δυσκτένιστα βοστρύχων πλέκη.
Τέδ᾽ αὖ σοβῶν ἔκυρον, εἴτε σοὶ πάλαι
Τρόχις κολοιὸς, εἴτε πέμπαλος κόραξ

Κάρα

Κάρα κόλαπτε χείλεσ' ἀγκυλοστόμοις.
Ἄπερρε, καὶ γὰρ οὐδὲν σοῦ πεπόνθαμεν.
Ἄπερρ', ἄπερρέ μοι τὰ τοῦ πέους περιδύς.
Χαμαιρριφὴς γὰρ, δυσπινής τε κείσεαι.
Κύων δ' ὀπισθίουρος, ἠὲ βορβόρου
Ἐθὰς καθυβριεῖ σε σῦς ὀρεινόμος.
Ἄπιστ' ἄπιστε φάλλ' ἐμὸς μέγας φθόρος,
Κακῷ, σάφ' ἴσθι, τίσεαι νόμῳ δίκην.
Κλάοις ἄν. οὐδέ σοι φίλου κόρου ποτὲ
Χάρις γένοιτ' ἄν, ὃς λυγισμὸν εὖ μάλα
Στρέφοιτο λυσίπυγον ἐμμαλέστατα.
Σὲ δ' οὔτε χερσὶν οὐ φιλοστέβος κόρη
Τεθάλψετ' οὐ γὰρ χρῶτα συμπλακήσεται.
Χαμαιτύπη γὰρ νωδὸς, ἡ παλαιγενής

Πάρες', ἐφ' ἧς γε δυσθεροῦς διασφα-
γὸς
Παλιστρόφοις ἑλικτὰ ῥυτίδων σχι-
δαῖς
Ἀραχνίων πέφλιδε τριπτυχῶν ῥά-
κη.
Ἰδοὺ πάρεσθ' ἵν' ὥς σε τετράκις
μάλα
Ἄβυσσον αὖ βέρεθρον ἐγκάπτῃ κά-
ρα.
Καρηβαρὴς γλύοι ἂν, ἔκλονος τ' ὄ-
φις.
Ἀτὰρ παλιντριβής γε φεῦ τάλαν
τάλαν
Ἐπιστεφὲς τέταρτα πληθυνεῖς κύ-
τος.
Ὑπέρφρονος δ' ἂν οὐκ ὄναιο λήμμα-
τος
Τέτ' οὖν, ἐς ἰλὺν ἢ ἀχανὲς βύθος
πεσών.
Τί δή; οὐ φρένας σ' ἐφῖκε τῆς ἀθυ-
μίας;
Τοιῶν ἀθῷα μου καταπροΐξεο.
Ὅταν δὲ κεῖνος ὧδε παῖς ἀφίξεται,
Ψό-

Ψόφος δέ σ' ὦτ' ἀπαρτίας ποδὸς
βαλεῖ,
Στύοιτ' ἂν ὀρθόπρεμνος ὄρχεων τό-
νος,
Τά, τ' ἄρθρα τυμπανισμὸς ἐμμε-
νοῦς σπτρου,
Λάζοι ἂν ἀσφάδαστος ὥστε μὴ κα-
μεῖν,
Πεινή σε τέρμα λοιαθίῳ δαίμη κό-
πῳ.

LXXXV. M. Valerii Martialis

AD PRIAPUM.

NOn horti, neque palmitis bea-
ti, &c.
Sed rari nemoris Priape custos,
Ex quo natus es, & potes renasci;
Furaces moneo manus repellas.
Et silvam domini focis reserves.
Si defecerit hac, & ipse lignum
es.

LXXXVI. PRIAPUS.

VEre roſa, autumno pomis, æſtate frequentor
Spicis: una mihi eſt horrida peſtis hiems.
Nam frigus metuo, & vereor ne ligneus ignem
Hac Deus ignaris præbeat agricolis.

LXXXVII. C. Valerii Catulli. PRIAPUS.

EGo hæc ego arte fabricata ruſtica,
Ego arida, ô viator, ecce populus
Agellulum hunc, ſiniſtra, tute quem vides,
Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malaſque furis arceo manus.
Mihi corolla picta Vere ponitur:
Mihi rubens ariſta ſole fervido:
Mihi

Mihi virente dulcis uva pampino:
Mihique glauca duro oliva frigore;
Meis capella delicata pascuis
In urbem adulta lacte portat ubera:
Meisque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit ære dexteram,
Tenerque, matre mugiente, vaccula
Deûm profundit ante templa sanguinem.
Proin viator hunc Deum vereberis,
Manumque sorsum habebis hoc tibi expedit.
Parata namque crux, sine arte mentula.
Velim pol, inquis: at pol ecce villicus
Venit; valente cui revulsa brachio
Fit ista mentula apta clava dexteræ.

C. Valerii Catulli

PRIAPEIUM,

Totidem Jambis puris Græce redditum.

Ἐγὼ τέχνημα φαυλοτέκτονος χερὸς,
Ἐγὼ δὲ φιτρὸς ἀζαλὴς, ὁδοιπόρε,
Ἰδοὺ τὸ γήδιον τόδ' ἐξ ἀριστερᾶς,
Ἔπαυλιν ἀνδρὸς, ὄρχατόν τ' ἐπισκοπῶ
Πένητος, ἐκ δὲ φωρὸς ἁρπαγὰς τρέπω.
Ἐμοὶ μὲν ἦρ' ἄρηρεν ἄνθεμος πλόκος,
Ἐμοὶ δὲ πυρσόφλοιος ἄσταχυς θέρει,
Ὀπωρινῷ τε λαρὸς ἀμπέλου βότρυς,
Κακῷ τε χείματ' ὠμὸν ὄμφακος στέρος.
Χίμαιρ' ἐμοῖσιν ἴξαλος νομεύμασι

Πο-

Πόλιν δὲ ἀμολγὰς ἔθετ' εὐγλαγῆ
φέρει.
Ἐμοῦ δ' ἀπ' ἀμνὸς εὐθαλὴς ἐπαύλεων
Δόμονδε βριθυκέρματον χέρ' εἰσ-
άγει.
Τέρεινα πόρτις αἰνομήτορος βοὸς
Χέει πρόναος αἱματοσραγὲς λί-
θος
Θεοῖσι. Τόνδε τὸν θεὸν σέβου ξένε,
Χέρας δὲ χωρὶς ἴσχε. σοὶ τόδ' ἀσφα-
λές.
Ἕτοιμος ἀσκέπαρνον αἰκία πέος.
Λέγοις, θέλοιμ' ἂν ἀλλ' ἰδοῦ προσ-
έρχεται
Ἀγροῖκος οὗτος. ὧγ' ἀποσπασθὲς
τόδε
Πέος τυλωτὸν ὅπλον ἐμπρέπει χε-
ρί.

LXXXVIII.

LXXXVIII. Ejusdem.
PRIAPVS.

Hunc ego juvenes locum, villulamque palustrem,
Tectam vimine junceo, caricisque maniplis,
Quercus arida, rustica conformata securi,
Nunc tuor: magis, & magis ut beata quotannis.
Hujus nam domini colunt me, deumque salutant.
Pauperis tugurii pater, filiusque coloni.
Alter assidua colens diligentia, ut herba
Dumosa, asperaque à meo sit remota sacello:
Alter parva ferens manu semper munera larga.
Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitu, & tenera virens spica mollis arista:

Luteæ

Luteæ violæ mihi, luteumque papaver,
Pallentesque cucurbitæ, & suaveolentia mala,
Uva pampinea rubens educata sub umbra.
Sanguine hanc etiam mihi (sed tacebitis) aram
Barbatus linit hirculus, cornipesque capella,
Pro queis omnia honoribus hæc necesse Priapo
Præstare, & domini hortulum vineaque tueri.
Quare hinc, ô pueri, malas abstinete rapinas.
Vicinus prope dives est, negligensque Priapus
Inde sumite. semita hæc deinde vos feret ipsa.


Ejus-


Ejuſdem AD PRIAPUM.

HVnc lucum tibi dedico conſecroque, Priape
Qua domus tua Lampſaci eſt, quaque ſylva Priape
Nam te præcipue in ſuis urbibus colit ora
Helleſpontia, cæteris oſtreoſior oris.

PRIAPEIORUM FINIS.








JOHANNIS BOSCHII IN T. PETRONII ARBITRI SATYRICON NOTÆ.



AMSTELÆDAMI
Apud ADRIANUM GAESBEQUIUM.
cIↃ IↃC LXXVI.



JOHANNIS BOSCHI IN PETRONIUM NOTÆ.

Cap. I.



Um alio genere] *Cum alio genere* Manuſcripti codices. Nob. Nicolaus Heinſius legit, *Tum alio genere*: Pars enim eſt Encolpianæ declamationis, in porticu habitæ, in qua videntur præceſſiſſe nonnulla in cauſidicos illorum temporum ac oratores dicta, à quorum vitiis carpendis ſe continuiſſe noſtrum, ex propoſito hoc agentem, ut cujuſcumque ordinis ac profeſſionis hominum peccata tangat, non ſit veriſimile.

Et ideo ego adoleſcentulos exiſtimo] τὸ *ego* non agnoſcit vet. cod. neque id abhorret: ſic enim infra Quartilla cap. 17. *Et ideo medicinam ſomno petii.*

Et tyrannos] Rectius legas cum Leid. Cod. *Sed tyrannos*.

Sed responsa in pestilentiam data] *pestilentia* Traguriensis codex & meliores.

Cap. 2. *Pace vestra liceat dixisse*] Hoc est, venia; quas voces conjungit Arnobius lib. 1. adv. Gent. *Cum pace hoc vestrâ, & cum bona venia dixerim.*

Et ne poëtas quidem] *Et ne poëtas quidem solum* Leid. cod. probè.

Cap. 3. *Quam quod*] *quam id quod* Leid. & Trag. cod. melius.

Cap. 4. *Spes quoque suas ambitioni donant*] Sic omnino legendum. *Spes* ipsos hîc liberos vocat, ut sæpe Auctores, propter spem scilicet quam de liberis habent parentes. Sic apud Silium Italicum ad filium suum Annibal: *spes ô Carthaginis altæ.* Et apud Virgilium ad Turnum filium Amata regina:

——— *Spes tu nunc una senectæ,*
Tu requies miseræ. ———

Tueris induunt adhuc nascentibus] Sic meliores. *Innocentibus* unus ex scriptis. Pontanus & Gruterus legunt *pascentibus.* Alii *lactentibus*, aut *dentientibus*, aut *vagientibus*, alii denique *crescentibus:* frustra. Nil muto, optime *nascentibus*, hoc est infantibus admodum; quomodo apud Cic. II. Acad. Quæst. lib. cap. 5. *Quòd si illi tum in novis rebus, quasi modo nascentes hæsitaverunt, nihilne tot seculis summis ingeniis, maximis studiis, explicatum putamus?* Miti-

Mitigarentur] *irrigarentur* Leid. cod. & tres alii. Doctiss. M. Oeveringius putat legendum esse *initiarentur*. quia paullò post sequitur, *diu audirent*, quod Pythagoricum silentium spectare videtur.

Ut quod vellent imitari] *ut quam* vet. cod. malim *quem*, quod in aliis.

Quod quisquis perperam discit] Lege cum Trag. cod. *quod quisque perperam didicit*. *Quisque* etiam agnoscit Leid. cod.

Schedium Lucilianæ humilitatis] *Studium Lucilianæ vel improbitatis vel humilitatis* Leid. cod. unde Nob. Heinsio legendum videbatur: *schedium Lucilianæ humilitatis proparatum*, &c.

Cap. 5. *Artis severæ*, &c.] Totum carmen hoc mirificè mendosum, ut Petroniana omnia, quod ita emendatum ac pristino nitori restitutum debes, Candide lector, illustri Nicolai Heinsii ingenio. Primo versu transponendæ voces ut constet numerus,

Amat severæ si quis artis effectus,

tum pro iis, quæ mox subsequuntur, & variis conjecturis tentata sunt jampridem, repone;

——— *prius mores*
Frugalitatis lege poliat exacta.

Sequitur paullò post,

Nec perditis addictus obruat vino
Mentis calorem,

quod ab Arbitri manu profluxisse, præsertim cum varient ac turbent codices scripti, vix videtur. Perditorum enim hominum consuetudinem non tantum studioso literarum ac artium bonarum, sed honesto cuicumque fugiendam esse quis nescit? In Traguriano *Nec perdictis abditis*. In aliis exemplaribus haberi monent homines eruditi, *perdictis addictus* vel *abditus*. Franciscus Daniel è suo codice, *Nec prædictis addictus*. Unde minima mutatione concinnari potest, *Nec prædiis abductus*. Certè *addictus* cum mox infra repetatur denuo importunè, hoc loco tolerari vix potest. *Abductus*; à studiis nimirum. Quomodo veteres frequenter locuti, Cicero in primis ac Terentius. Tale est Tullianum illud epistolis ad Q. Fratrem, *Abduco me ab omni reip. cura*. Cæterum secessus prædiorum uni otio, studiis promovendis perquam inimico, ut plurimum dicatus, quod Genio compotationibusque ac venatui illic iudulgerent. Unde *rus geniale* apud poëtas frequenter occurrit. De compotatione rem & Arbiter hic loci tangit, qui nullis deliciarum illecebris avocari aut interrumpi studia patitur. Sed iis assiduè inhærendum monet. Subjungit mox noster,

——— *neve plausor in scena*
Sedeat redemptus histrioniæ addictus,

quæ & ipſa æque mendoſa ſunt. Inter avocamenta ſtudiorum rectè recenſet Arbiter vitam aulicam, cœnas magnatum, ſeceſſum ruris, ac ſpectacula urbana, quæ multum temporis auferebant. De Spectaculis ac ludis hiſtrionicis nunc agit loco poſtremo. Sed in *ſcena* ſpectatores non ſedebant. Deinde cur *redemtos* eos vocat? Redemti enim propriè ſervi homines, hoc eſt hiſtriones ipſi. Lege ſic totum locum,

Nec prædiis abductus obruat vino
Mentis calorem, neve plauſor in ſcenam
Sedeat redemtis hiſtrionicam addictus.

Addictus ſpectator & obnoxius ſedebat redemtis in ſcenam hiſtrionicam, hoc eſt, ut dicebam modo, ipſis hiſtrionibus, quorum opera ad hoc ipſum redimebatur, præterquam quod ſervilis eſſent ac viliſſimæ conditionis. Verſu 13.

Mox & Socratico plenus grege, mittat habenas]

To *grege* non exhibetur in ſcriptis, quorum plerique, *plenus immittat habenas*. *Immittere habenas* elegans & poëtis uſitatum. Neque eſt, quod quem ſyllaba præter legem metricam producta offendat, cum in hiſce talibus frequens ſit Maro & ipſe. *Socratico* refer ad *fontem*, quod proximè præceſſit. Nam ut Homerus poëtarum fons dictus antiquis, ſic

 Phi-

Philoſophorum Socrates. Exemplis haud paucis id confirmari poſſet, ni ſtuderemus brevitati. ℣ 15.

Hinc Romana manus circumfluat, & modo Grajo
Exonerata ſono mutet ſuffuſa ſaporem:

Locus turbatiſſimus: hæc enim, ut nunc leguntur, nil ſani aut Latini præ ſe ferunt. Feſtinans Librarius videtur omiſiſſe τὸ *ora* quod cognatio literarum in *Graio* & in *exonerata* abſorpſerit; ut dediſſe videatur Petronius,

Hinc Romana manus circumfluat, oraque Graio
Exonerata ſono mutent ſuffuſa ſaporem:

Vel *Exonerante ſono*. Os ſapore Graii ſermonis ſuffuſum Latinè omnino & eleganter dicitur, ut *os ſuffuſum veneno*, & *rubore* Naſoni. Hinc patet quod Quintilianus aliique veterum confirmant, Romanos in ſcholis auſpicatos ſtudia, a Græcis litteris, & quidem poëticis, atque ab ipſo Homero. verſu 17.

Interdum ſubducta foro det pagina curſum,
Et fortuna ſonet celeri diſtincta meatu.

Æquè hæc inquinata ſunt. Fortè,

Interdum ſubducta foro det pagina verſum,
Et furtiva ſonet celeri diſcincta meatu.

Ut *pagina discincta* opponatur legibus metricis alligatæ & poëticæ, cujus prior versus meminerat. Nam τὸ *cursum* nihili est: ni *cursim* mavis, ut schedia properata, in quibus monet non esse diu inhærendum, intelligantur. Atque ita *discincta pagina* possit etiam capi pro excurrente in varia argumenta. versu 19.

Dent epulas & bella truci memorata canore, *(minentur.*
Grandiaque indomiti Ciceronis verba

Dein epulas codices nonnulli. *epulas* autem pro quacumque poni tragœdia contendunt. Sed ut demus in Tereo ac Thyeste tragœdiis locum fuisse epulis, ut fuit, an ideo in omnibus Tragœdiis epulæ instructæ, aut epulæ pro Tragœdiis sumendæ? Haud opinor. Multo minus Arbitrum velle ut in epulis describendis, hoc est argumento ludicro, adolescentes exerceantur, quos artis severæ seriæque studiis imbutos cupit. Quid igitur? Censeo scribendum,

Dein det epos, det bella truci memorata canore, *(minetur.*
Grandiaque indomiti Ciceronis verba

Referenda enim hæc quoque ad *paginam*, quæ proximè præcesserat. Epici autem carminis præcipuum argumentum esse bella nemo diffitebitur.

Cap. 6. *Nec quo loco stabulum esset*] τὸ

loco Doufæ P. conjectura eſt quam nullus codex agnoſcit. *Quia nec quo ſ. e.* Leid. cod. malit Nob. Heinſius *nec quà ſ. e.* optimè ſic Propertius lib. 1. Eleg. 1.

Quà non ulla meum femina norit iter.

Virgil. Eclog. IX.

——— *quà ſe ſubducere colles*
Incipiunt.

Horat. lib. III. od. 3.

——— *quà medius liquor*
Secernit Europen ab Afro:
Quà tumidus rigat arva Nilus.

Donec in curſu fatigatus] Mallem cum Leid. cod. *donec & curſu fatigatus*, ſequitur enim *& ſudore jam madens.*

Cap. 7 *Et Rogo*] *Te rogo* Leid. cod. & quinque alii, probè: venuſtam hanc & rogantium & adeuntium formulam perperam hic mutarunt nonnulli, quâ, ſæpè aliis tamen locis noſter uſus eſt. Etiam Plautus Pſeud. Act. IV. Sc. II. ℣. 15.

Ecquem in angiporto hoc hominem tu noviſti? te rogo.

Vetus inſcriptio, quam ex Joſephi Scáligeri MSS. quæ intra Leidenſis Bibliothecæ penetralia aſſervantur, deſcripſi:

LAGGE FILI
BENE QUIESCAS
MATER TUA ROGAT
TE UT ME AD TE
RECIPIAS. VALE.

P. Q. XV. Divi-

Divinam.] *ducturam* Leid. cod. pro diversa lectione.

Video quosdam inter titulos, nudasque meretrices] *Internuculos* Leid. cod. *intesticulos* vet. cod. Legit Nob. Heinsius *video quosdam inter hystriculos*, h. e. pueros stupratos, & jam propter ætatem absoletos; aut ut cum nostro loquar, stupro liberos ac ingenuos, quorum anni ad tesseram venierunt. Nam & hi, æquè ac meretrices, in lupanaribus prostabant. Calpurnius Ecloga VI.

——— *pallidus alter*
Venit, & hirsuta spinosior hystrice barba;
Candidus alter erat, levique decentior ovo.

Et Festo hanc vocem reddendam esse me docuit vir Illustris, quam perperam ut solet alias mutilator iste Paullus exscripsit *Hircipili*: legendum itaque, *Hystriculi*, *durorum pilorum homines.* Atque sic scribendum existimo apud Arnobium lib. V. adv. Gent. ubi *istriculi* M S. cod. *Facit sumere*, inquit, *habitum puriorem, & in speciem levigari nondum duri atque hystriculi pusionis* Non ignoro hic CL. virum ad Tertulliani Pallium aliter sentire.

Imo jam serò intellexi] *imo jam serò sensi intellexi* Leid. cod. quo duplex scriptura codicum vetustorum designatur.

Cap. 8.

Cap. 8. *Et ducem se intineris*] *Et se ducem itineris* Mem. cod. rectè.

Per amfractus deinde] *dehinc* Leid. cod. placet.

Cap. 9. *Extersit*] In aliis *expressit*. utraque lectio tolerabilis; possit enim illa Ovidii & aliorum, hæc verò ipsius Terentii defendi. Forsan Gitona puer, meretricum more, quæ decenter coactis oculis lacrymare didicerunt; etiam lacrymas ad ostentationem doloris exprimere voluit.

Cujus ne spiritus] ad Leid. cod. oram Josephus Scaliger *nec*, probè.

Cap. 10. *Diducerem*] Scribe *deducerem* cum Leid. cod. hoc est, agerem quæ solitus, ut interpretatur CL. Gronovius lib. II. Observat. cap. X.

Cap. 11. *Invenit me cum fratre ludendum*] Sub fratrum sororumve nominibus, amasios amasiasve olim suas intelligebant veteres; ut hic noster, & multis aliis in locis. Qua de re sic Minutius Felix. *Occultis se notis & insignibus noscunt, & amant mutuò penè antequam noverint: passim etiam inter eos quædam libidinum religio miscetur: ac se promiscuè appellant fratres, & sorores, ut etiam non insolens stuprum intercessione sacri nominis fiat incestum. Ita eorum vana & demens superstitio*

ftrio sceleribus gloriatur. Tibullus lib. III. Eleg. I.

Hæc tibi vir quondam, nunc frater, casta Neræa,
Mittit, & accipias munera parva rogat.

Vesticontubernium] Lege *Vestæ contubernium* cum Pithœi, Sambuci, Memmii aliisque optimis codicibus: ut præcedenti ironiæ respondeat, qua Encolpium *fratrem* scilicet *sanctissimum* appellarat Ascyltos.

Cap. 12. *Splendida vestis posset adducere*] *Splendor vestis* vet. & Leid. cod. pro diversa lectione. Mallet hic Nob. N. Heinsius *inducere* hoc est, fallere: ingeniosè, ut solet.

Sine aliquo motu] *metu* quatuor codd.

Cap. 13. *Querebar*] *querebatur* Mem. cod.

Cap. 14. *Regnat*] J. Scaliger ad Leid. cod. oram notarat, al. *pugnat*. V. C.

Ipsi qui Cynica t. t. cæna] *Cera* Leid. cod. *pera* hic legendum esse me docuit Nob. Heinsius. Supra cap. 11. *Sed lorum de pera solvit.* Infra cap. 77. *Non me hercules peram istam diu ferrem.* De quo loco vide Notas. De *pera Cynica* res est notissima.

Sed præter unum dipondium sicel lupinosque quibus destinaverimus, mercari.] mirè hic

rè hic variant scripti. Lege, *sed præter unum dupondium, quo cicer lupinosque destinaveramus mercari.* Sic hunc locum emendaverunt & Anonymus in MSS. juxta Dousæ P. manum ad editionem Tornæsianam; quo ante me codice præstantissimi viri Theodori Hillensbergii beneficio usus est M. Hadrianides, qui illum (Anonymum dico) malè omnibus locis, scripturæ ut hariolor imperitia, Petrum Scriverium appellat. & CL. Gronovius lib. IV. de Pec. vet. cap. XII. quem adi. *Cicer* & *Lupinus* tenuiorum esca fuere, qualis erat Cynicorum victus. Præter Horatium & Martialem has ipse voces conjungit Noster in Frag. p. 130. Ubi Trimalchioni dicit Hubinnas, quid habuerit in cæna. *Itaque*, inquit, *de scriblita quidem non minimum edi, de melle nusquam tetigi: circa cicer & lupinum; calvæ arbitratu, & mala singula* &c. Sic huic loco medicinam facit Illustris Heinsius. *Calvæ* enim vox ut ille me docuit, non hic proprium cujusdam feminæ nomen est, sed nuces sunt, ut ex Catonis de R. R. lib. cap. 8. discere est: ubi *nuces calvas* inter alia earum genera nominat.

Itaque ne interim] *Viritim* opt. cod. quod omnino cum J. Scaligero probandum.

Causa nostra, & conciones] *Causa nam*

&

& conciones Leid. cod. Lego, *caussa nostra, nam & conciones.*

Cap. 15. *Deposita vestis*] *Deposita veste is* Scaliger ad Leid. cod. oram.

Casus adjuvit] Infra cap. 62. *Contentus sum si nos descendentes adjuverit casus.* Frontinus lib. II. Strat. cap. 5. ex 30. *Casus adjuvit Lucullum.*

Calliditate] Emendat Oeveringius noster *caliditate.*

Cap. 16. *Sera sua sponte*] *Sera jam sua sponte* Mem. cod.

Reclusæque subito fores.] *remissæque* Leid. & Trag. cod. melius.

Sacra ante cryptam] *Sacram ante cryptam.* Leid. cod. non malè, hoc est, ante hac inviolatam: τὸ *antè* adverbium est, teste Gronovio lib. I. Observ. cap. 15. legit Nob. Heinsius *sacra ante cryptica.*

Cap. 17. *Articulorum strepitum*] melius *crepitum*, quod Ciceronis, Propertii, Martialis, Senecæ & aliorum exemplis tueri posset: etiam ipsius Arbitri, nam cap. 27 *Trimalchio*, inquit, *lautissimus homo digitos concrepuit.*

Aut ubi fabulas & antecessura latrocinia didicistis] *Aut ubi fabulas etiam a. l. d.* Leid. cod. transpone vocem (indicante Nob. Heinsio) & scribe: *aut ubi & fabulas antecessura l. d.*

Ætate magis vestra commoveor] *Vestræ* Mem.

Mem. cod. non malè, ut eleganter subaudiatur *causa*.

Monstrata subtilitate] *Salubritate* legit Nob Heinsius, optimè. Infra cap. 100. *qui præceptis etiam salubribus instruere juvenes quotidie possit.*

Ne scilicet juvenili impulsu licentia, quod in sacello Priapi vidistis, vulgetis.] *Ne scilicet juvenili impulsu licentiam quam in s. P. V. V.* Leid. Cod. utraque lectio tolerabilis.

Quæ mille vix homines noverunt] *Quæ mystæ vix omnes noverunt*, meliores membranæ.

Cap. 18. *Temptata manu duxit*] *tentata* Leid. & Trag. cod. *lenta* alii. optimè Lipsius *dentata*, hoc est, manu in modum pectinis dentatim formata.

Annuissetis] *Adjuvissetis* Leid cod.

Contemni] Adi Gronovii Observ. lib. III. cap. 23.

Solet] *Dolet* vet. cod. sic legendum esse dudum me monuerat Nob. Heinsius.

Cap. 19. *Sine interpellatione.*] Lege cum duobus codd. *sine ulla interpellatione.*

Quibus si nil aliud virile, sexus esset.] *virilis* al. *virile secus* ex scriptis unus, quadrat utraque lectio. Varro lib. VI. de L. L. *secus pro sexus, neutri generis & unius casus.* Carisius: *secus neutri generis nomen: unde & Sallustius virile secus dixit,*

xit, *hoc est virilis sexus*, *quod per omnes casus integra forma declinatur.* Extat iste Sallustii locus apud Macrobium lib. II. Sat. cap. 9. *At Metellus in ulteriorem Hispaniam*, *post annum regressus*, *magna gloria*, *concurrentibus undique virile ac muliebre secus*, *per vias & tecta omnium visebatur.* Apul. lib. II. de Habit. Doct. Plat. *Et qui de talibus nuptiis erunt orti*, *studiis congruentibus imbuentur & optimis disciplinis communi præceptorum magisterio docebuntur*, *non virile secus modo*, *verum etiam fœminarum.* Plaut. Rud. Act. 1. Sc. 2. vers. 19 *Virile secus nunquam ullum habui.* Sed mallem hic legere *virile sexus*, sic Juntarum editio; & Priscianus lib. V. ubi locum hunc citat. Janus etiam Gruterus ad oram Plauti Taubmanni, quem possideo, propria manu scripsit: *MSS. Pall. disertim præferunt virile secus.* Legendum & distinguendum hunc Petronii locum puto, *quibus si nil aliud*, *virile secus esset*, *quod auxiliaretur.*

Præcincti certè altius eramus] Hyginus Fab. IX. *quod illa cincta viri cultu esset*, ad quem locum vide Doctiss. Munckeri notas.

Cap. 20. *Rogo*, *inquam*, *domina*] forte legendum *Te rogo i. d.* ut supra cap. 7. *Te rogo*, *inquam*, *mater*. vide quæ nos ibi.

Periculosum esse] Pomponius l.36 π. de Regul. jur. *Culpa est, immiscere se rei ad se non pertinenti.*

Protulit de suris] *De sura* al. Leid. & tres alii *protulit de sinu*, ut infra cap. 91 *Illa de sinu licium protulit varii coloris fili intortum, cervicemque vinxit meam.* cap 37. *Deinde martulum de sinu protulit*: mallem hic *marculum* quod in aliis, & ab Isidoro, pro malleo pusillo dici, observatum est.

Cap. 21. *Intraverunt Palæstricæ quam plures*] *palæstritæ* Leid. cod. rectè. Sic scribendum esse, dudum me, antequam illum vidissem codicem, monuit Doctiss Th. Munckerus.

Et gustatione mirifica initiati] *Myrrhistica* Nob. Heinsius, optimè. Myrrham enim vino etiam infundebant veteres. Noster in Fragmentis p. 344. *Ad libidinis incitamentum, Myrrhinum se poculum bibisse.* Plinius lib. XIV. cap. 13. *Laudatissima apud priscos vina erant, myrrhæ odore condita.* In aliis edit. *Lautissima.*

Inundamur] *Inundabamur* Mem. cod.

Cap. 22. *Humerosque sopitionibus*] Al. *sopitis titionibus.* Olim cum aliis legendum putabam *sopiti titionibus*, hoc est, dormientis Ascylti, ut respondeat præcedenti *non sentientis*: Verum Nob. Nicolaus Heinsius me docuit hic legendum

esse

esse *scopionibus* : quomodo & apud Catullum Carm. 37. ad Contubernales.

Frontem tabernæ scopionibus scribam.

Marcebant] *Manebant* cod. Leid. nil muta.

Cap. 23. *Detexit recusanteis*] Lego cum Leid. cod. *recusantem*, Encolpium scilicet.

Cap. 24. *Urbanitatis vernulæ fontem*] *Vernaculæ* rectè legit CL. Gronovius lib. IV. de Pec. Vet. cap. 10.

Mox manum demisit in sinum, & pertracto vasculo tam rudi, Hoc inquit, belle cras in promulside l. ri.m.] Emendat Nob. Heinsius: *& protracto vasculo, tam rude, hoc, inquit, belli cras, &c.* Dignissima medius-fidius Petronio emendatio, *rude belli*, hoc est, *rude ad Veneris furtum*, ut loquitur Ovidius in epistola Helenæ Paridi XI. vers. 141. Florus lib. II. cap. 2. *Ejus Elephanti bellorum rudes, & nuper a sylva*, &c. Horatius lib. II. epist. 2. vers. 47.

Civilisq; rudem belli, tulit æstus in arma.

Rudem belli, Acron *Tyronem & ignarum* interpretatur.

Cap. 25. *Quum hoc diceret*] Scribe *hæc* sic Leid. cod. infra cap. 52. *Hæc Eumolpo dicente.*

Cap. 26. *Flammeolo*] *Flammeo* quatuor codd.

Lenta manu traxit] Doctiss. Munckerus in suis ad me literis legit: *inject. manu traxit* ut infra cap. 93. *extraque vestibulum me injecta manu duxit.*
Valgiter] *Obiter* tres M S S.
Cap. 27. *Quum has miraremur lautitias*] Scribe *cum has ergo miraremur lauticias* sic Trag. cod.
Cap. 28. *Et sudore calefacti*] Insolens locutio, ut rectè ab aliis notata. Unus ex scriptis habet *at sudore*, unde lego *& ad sudorem calefacti.* Nam in cella caldaria aliis sudatoria dicta, sese calefaciebant cives delicatiores; antequam in tepidariam & frigidariam intrabant.
Quum ergo adferretur] *Efferretur* Mem. cod. Nob. Heinsius *infertur* legit: Sic de Tiberio Suetonius cap. 30. *lectica quondam introlatus æger.* CL. Schefferus pag. 229. Acad. Quæst. probat ex Trag. cod. *auferretur*; ex quo cum eodem mox pro *Symphoniacis* lego *Symphoniacus.*
Cap. 29. CAVE CANEM] CAVE CAVE CANEM Leid. cod. & vett.
Tænia] *Mænia* legendum esse me monuit Nob. Heinsius, Capuana scilicet, nam ibi servum egit Trimalchio, ut in sequentibus patet.
Cap. 30. *Imprecario*] Locum vitiosum esse dudum videre eruditi, unde edidere *in prætorio*. Nob. Heinsius emendat *in* pri-

primore atrio Aulus Gellius lib. 16. cap. 5. *Animadverti enim quosdam haudquaquam indoctos viros opinari vestibulum esse partem domus primorem, quam vulgus atrium vocat.* Conftat ex Catone prifcos pecunias & cætera pretiofiora in atriis fervaffe, iifque præpofuiffe fervos ex Atrienfibus honoratiores. Olim legendum hariolabar, *in cellario.* Notum enim eft cum ex Donato, tum ex aliis *cella* & *cellarium* dici. Paullo ante Arbiter: *Nos jam ad triclinium perveneramus, in cujus parte prima* (hoc eft *cella*, *cellario*) *procurator rationes accipiebat.*

Superbus ille fuftulit vultum] Mallem *fuperbum.* Encolpius fupra cap. 17. *retexit fuperbum pallio caput.* Sic cap. 51. *convertit ille folutum gaudio vultum.*

Cap. 31. *Adlata eft tum*] Scribe cum Trag. cod. *tamen*, h. e. tandem: quomodo & infra meliores codices habent cap. 89. *quid tamen agas, quæro, & an tuis pedibus perveneris domum?* Nonius: *Tamen fignificat tandem.* Pacuvius Peribæa:

Tamen obfirmato animo mitefcit metus.

Salluft. Hift. lib. 3. *Nam qui enare conati fuerant, icti fæpe ferramentis navium, aut vulnerati à fuis, aut afflicti alveos undarum vi, multato fœde corpore, poftremo tamen periere.* Quo fenfu & Apulejus lib. V. Metam. *tamen memineris meæ*

seriæ monitionis, cum cœperis serò pœnitere.

Cæterum in promulsidari] Primum ac Tertulliani Pallium docuit CL. Salmasius *promulsidare* hic nihil bibendi edendique caussa paratum continere, sed vasa tantum sustinere, hocque ex Ulpiano L. etsi non sin calvi §. 10. ff. de auro & arg. legat. *Sed cui vasa* (Sic codd. non *sed si cui vasa* ut vulgo citatur) *sint legata, non solum ea continentur, quæ aliquid in se recipiant edendi bibendique caussa paratum, sed & quæ aliquid sustineant & ideo scutellas vel promulsidaria contineri.*

Cap. 33. *Sed ne absentius essem*] *Diutius absentius* Mem. cod. *absentivus* Pithœi & Leidensis cod. *more vobis* interponit M S. Trag. Unde non dubitavi, quin cum Doctiss. Gronovio legendum esset, *sed ne absentivus moræ vobis essem.* Nob. Heinsius malit, *sed ne absens diutius m. v. e.*

*Interim dum ille omnium testorum * inter lusum consumit*] Olim legendum putabam: *Interim dum ille omnes tesseras inter lusum consumit.* Ut infra cap. 48. *Democritus ætatem inter experimenta consumpsit.* CL. J. F. Gronovius emendat: *Interim dum ille omnium testorum iter lusu consumit.* Adi lib. III. de Pec. vet. cap. 15. M S. Trag. habet *omnium textorum dicta*, Unde minima mutatione Nob. Heinsio

legen-

legendum videtur, *omnia textorum dicta*. Non dubito quin hæc ipsissima vexatissimi loci lectio.

Piperatam] *Circumdatam* Trag. cod. quod in textum recepimus: Doctiss. Munckerus *præparatam* forte nostrum scripsisse existimat. Hoc quoniam culinare verbum ut discere est vel ex uno Apitio.

Cap. 34. *Objurgare*] *Objurgari* Trag. cod. recte, aliter se ipsum puer colaphis objurgasse debuisset, quod optimè etiam à Cl. Scheffero observatum video.

Supellecticarius] *Lecticarius* duo codd. Nob. Heinsius legit, *Analectamicarius*, h, e, servus analecta colligens. De his agit Seneca epist. 47. ubi de servorum abusu: *Quod cum ad cœnandum discubuimus, alius sputa detergit, alius reliquias temulentorum subditus colligit.* Neque aliter legendum in Frag. pag. 147. ubi de servo suo ipse Trimalchio, *homo præfiscini, frugi, & micarius*. Eleganter Martialis lib. 8. ep. 20.

Colligere longâ turpe nec putat dextrâ
Analecta, quidquid & canes reliquerunt.

Idem in Apophor. ep. 80.

In pretio scopas testatur palma fuisse,
Otia sed scopis nunc analecta dabunt.

Etiam Horatius lib. 2. Sat. 8.

His ubi sublatis, puer altè cinctus, acernam

Gausape purpureo mensam pertersit, & alter
Sublegit quodcumque jaceret inutile quodque
Posset cenanteis offendere.

Æquum, inquit, Mars amat] Ita omnino legendum, non *equum*. Sic *communis Deus* in Catalectis dicitur, quia æqualitatem inter pugnaturos amat.

Obiter ei prædissum servi] *Et pudissimi* Trag. M S. pro *sua frequentia* unus ex scriptis *sublata frequentia*. Nob. Heinsius ita huic loco, toties frustra vexato, medicinam facit: *obiter & putidissimi servi minorem nobis æstum, sublata sua frequentia, facient*. Sic *hominem putidum* de puero delapso in Frag. dixit, pag. 104.

Pittacia erant affixa] Pittaciis Consulum nomina, ad vini sc. ætatem indicandam, inscribebat antiquitas. Eleganter apud Plautum in Pænulo Syncerastus servus Act. IV. Sc. II. vers. 14.

Ibi tu videas literatas fictiles epistolas,
Pice signatas, nomina insunt cubitum longis literis
Ita vinariorum habemus nostræ delectum domi.

Accuratissimas] *Accuratissimè* nonnulli, nil muta.

Semel iterumque abjecisset] *Semel atque iterum* Mem. cod. prior arridet: quia sic solet

folet Noftèr ut infra cap.54. *& femel iterumque cervice percuffa, ante pedes collabitur noftros*.& cap.95. *ac me femel iterumque bafiavit*. Poteft autem pofterior Ciceronis aliorumque exemplis defendi.

Cap. 35. *Bubale fruftum.*] Scaliger *bubulæ*, carnis fcilicet.

Super Cancrum coronam] Nihil hic muto, licet dixerit ftructorem materiæ proprium convenientemque cibum impofuiffe. Sic enim ipfe in Frag. pag. 74. quod ante me à M. Hadrianide obfervatum video: *In Cancro ego natus fum; ideo multis pedibus fto, & in mari & in terra multa poffideo. Nam cancer & hoc & illoc quadrat; & ideo jam dudum nihil fuper illum pofui, ne genefin meam premerem.*

Super Sagittarium odopetam. Nob. Heinfius legendum forte *ocypoda* vel *fcolopacem*. Erycius Puteanus fcribendum effe monuit *otopetam*. vet. Gloff. ὠτοπετὴς *auritus*, lepus fc. fic Virgilius 1 Georg. verf. 308. *Auritosque fequi lepores*. Et Gram. Phænon.

Auritum leporem fequitur canis & fugit ille.

Doctiff. Munckerus in fuis ad me literis lubens legeret *dafypoda*, quæ præda optime venatori conveniret; nam pro lepore, & cuniculo (quo fenfu hic fumendum effet, quia paullo poft, *de lepore in*

medio pinnis subornato, sit mentio) hanc vocem usurpavit Plinius lib. 10. cap. 63. Inter astrorum imagines quas ex antiquo codice vulgavit Grotius, lepus à Sagittario portatur. Firmat hanc quoque conjecturam Germanici Scholiastes: *Nam ut venatorem*, scribit, *eum aliqua de caussâ, ita leporem ei ad pedes fugientem finxerunt.*

Atque ipse etiam teterrima voce de laserpitiario mimo canticum extorquet] Optimè hic *teterrimâ* non *tenerrima*, pro ludibrio enim ubicumque servorum canticum habet, ut infra in Frag. pag. 78. *poëmata domini sui acidissima voce traduxit.* Legendum porro *laserpitiato domini* (indicante Nob. Nicolao Heinsio) ut condimentum ex laserpitio intelligatur.

Cap. 36. *Utriculis*] *Interculis* M. S. *interulis* alii. Jos. Scaliger ad Leid. cod. oram scripserat *veretriculis*, ingeniosè.

Nec quid nec quare] Elegans formula qua videntur præfati fuisse, quum rem dicturi essent, quæ nec opinantibus evenerit. Mox assentior Lipsio, scribenti, *Trimalchioni τὰ πάντα est.* Consule Epist. Quæst. lib. 3. ep. 2.

Cap. 37. *Deinde martulum de sinu protulit*] Vide Notas ad cap. 20.

Cap. 38. *Memorata est*] *remorata* vet. cod. Lipsius legit *immorata*, Sallustiano

verbo:

verbo: malo cum Samb. & Leid. cod. *commorata* quod & Richardo placuiſſe video: etiam in ſuis ad me literis Doct. Munckero.

Paſcitur] Rectè, *naſcitur* alii.

Cap. 39. *Quo margarita cara*] Pluralis numeri eſt, ut monuit Douſa P. *Margaritum* dixit noſter in Frag. p. 123. & Tacit. in vita Agricolæ cap. 12. *Gignit & Oceanus margarita, ſit ſubfuſca ac liventia.* Et ſæpe D: Hieronymus, qui à Chriſtianorum infirmioribus magis olim Ciceronianus, quam Chriſtianus audiebat; ut ad Pammachium ſuper obitu Paulinæ uxoris: *Fractum eſt*, inquit *precioſiſſimum margaritum.* Et paullò poſt: *Lucet margaritum in ſordibus, & fulgor gemmæ puriſſimæ, etiam in luto radiat.* Optimi etiam Latinæ Linguæ Auctores poſt τὸ *quò* quartum caſum ponebant: unde etiam Nob. N. Heinſius mox mallet

——— *tibi baccam Indicam*

Ovidius II. Amor. El. IV.

Quò tibi formoſam, ſi non niſi caſta placebat.

Horat. lib. 1. ep. 5.

Quò mihi fortunam, ſi non conceditur uti.

Martialis lib. V. ep. 53.

Quò tibi vel Nioben, Baſſe, vel Andromachen.

Phædrus lib. III. Fab. 18.

Quò

Quò mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono.

Tibi bacca Indica.] *Tribacca* Sambuci cod. & sex. edit. Uniones enim non singulos singulis auribus comparatos jungebant Romanorum feminæ, sed binos, etiam ternos. De illa mulierum insania Claudianus, VI. Hon. Conf. vers. 527.

Substringitque comam gemmis, & colla monili
Circuit, & baccis onerat candentibus aures.

Nebula linea] Gloss. Petron. *Tenue amiculum lineum, quod nec panni celebritatem, nec telæ densitatem, sed nebulæ tenuitatem æmulatur pellucidam.* forte scribendum, *crebritatem.* Eleganter de his mulieribus L.A. Seneca lib. VII. de Benef. cap. 9. *Video*, scribit, *sericas vestes si vestes vocandæ sunt, in quibus nil est quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit: quibus sumptis, mulier parum liquido nudam se non esse jurabit.*

Cap. 39. *Gastrorum eminentium fragmenta*] Placet Doct. Munckeri emendatio *gastrarumque eminentia fragmenta.* C L. Gronovius legit *testorumque e. f.* lib. III. de Pec. vet. cap. 15. Γαστρα, ventrosum quoddam vas, vas Samium. Gastræ ergo amphoræ, & quidem tales, quales per angiportos, vesicam exonerantibus, erant collocatæ. Apud Macro-

bium

bium C. Titius lib. II.cap 12. *Dum eunt, nulla est in angiporto amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habeant.* Consule Causaub. ad Suet. p. 305. Noster in Frag. p. 139. Ubi de amphoris fuste percussis agit. *Consternati nos insolentia ebriorum, intentavimus oculos in praeliantes, notavimusque ostrea, pectinesque, è gastris labentia, quae collecta puer lance circumtulit.* Olim perperam hic *è castris*, ut monuit Munckerus in suis ad Hyginum notis, legebatur.

Notaverat, certaque liniamenta evicerunt spississimam noctem] Lege *Notaverat cretâ, quae l. e. s. n.* Sic Mem. cod. Nob. Heinsius scribit *linimenta*; Doctiss. Munckerus *eaque lin.*

Per eandem terram] *Fenestram* meliores: *Fenestra* interdum etiam significat foramen, aut apertum quid. Sceparnio servus apud Plaut. Rud. Act. 1. Sc. 1.

Non ventus fuit: verum Alcumena Euripidi,
Ita omnis de tecto deturbavit tegulas:
Illustrioris fecit, fenestrasque indidit.

Valete curae! Mortalis] Scribe cum optimis codd.

——— *valete curae*
Mortales! ego sic perire coepi.

41. *Nomen amicitiae.*] Duos priores versus sic legit D. Munckerus:

Nomen

Nomen amicitiæ sic, quatenus expedit, hæret,
Calculus ut tabula mobile ludit opus.

Dissimulata] *Assimulata* Dousa P.

Cap. 42. *Dignus exilio*] *Exitio* Dousa P. optimè. nam paullo ante infelicissimus ipse puer proclamaverat: *ego mori debeo, qui amicitiæ sacramentum delevi.*

Venerunt] *Venierunt* Pithœi & Mem. cod. probè.

Quid ille alter, ô dii! qui tanquam togæ virilis stolam sumpsit, qui ne] *Die qui tanquam* Leid. cod. Lege cum Nob. Heinsio, *quid ille alter? quid, inquam, qui die togæ virilis stolam sumpsit.* Suet. Calig. cap. 10. *uno atque eodem die stolam sumpsit, barbamque posuit.*

Secuteleja] Scribe *Securuleja*: lascivam puellam interpretatur Lotichius, quæ sine sede & lare certo ubicumque virum sequitur: cujus ut ait Martialis nequitias vincere nemo potest.

Cap. 43. *Temeritate lassata*] *Laxata* scribit Doct. Munckerus, ut infra cap. 68. *nec tamen cujusquam ira laxatur.*

Jusjurandum] *Jejunium* Leid. cod. & duo alii.

Ex transverso fit] Nec opinanti accidit. Scribonius Largus: *Hæc calamitas ex transverso accidit.* Cicero ad Att. 15. ep. 4. *Ecce autem de transverso L. Cæsar, ut veniam*

niam ad ſe, rogat. Ita legendum cum vett. cod. non ut in recent. edit. *De traverſo.*

Cap. 44. *Protoguis rudimenta*] Mallet Oeveringius noſter *liniamenta*, ut apud Cic. in Brut. 18. *Similis in pictura ratio eſt, in qua Zeuxim, & Polygnotum, & Timantem, & eorum, qui non ſunt uſi plus quam quatuor coloribus, formas & liniamenta laudamus. At in Aëtione, Nicomacho, Protogene, Apelle, jam perfecta ſunt omnia, & neſcio an reliquis in rebus omnibus idem eveniat.*

Pictorum amantium vultus] *Iuſtus* Nob. Heinſius.

Nemini tamen] Sic rectè legitur. Arbitri ſenſus eſt: non involavit alterius amores Jupiter: ſicut meos ſuperbus Aſcyltos.

Cap. 45. *Peccat*] *Spectat* Scaliger ad oram Leid. cod.

Diverſa] Neſcio an non verior Memmii cod. lectio *Univerſa.*

Veteranus eſt latro.] *Veteranus* hic is, qui longa annorum ſerie & experientia peritus, aſtutus: quomodo apud Livium lib. I. *Pœnum hoſtem veteranum, trium & viginti annorum militia duriſſima, inter Hiſpanas gentes ſemper victorem.* Sic hoc ſenſu *vetus* ſæpe apud Tacitum.

Cap. 46. *Dolui*] *Noiui* veteres membra-

branæ. Fortè *docui*. Nam ut ait Phædrus,

——— Decipit
Frons prima multos. rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.

Jam ergo] Lege, *jam ego* sic Mem. cod.

Cap. 47. *Austurconem Macedonicum*] τὸ *asturconem* Gonsalio displicet, quia tam grande munus suspectam faceret Pædagogi liberalitatem, emendat itaque *struthionem*. Sed *Struthio* mihi æquè ac *asturco* illi placet: licet dixerit *Struthiocamelum* noster infra cap. 97. Paullò enim post ipse nequam amator: *Scis quanto facilius sit, columbas, gallosque gallinaceos emere, quam asturconem: & præter hoc etiam timebam, ne tam grande munus suspectam faceret humanitatem meam.* Defendit etiam contra Gonsalium veram lectionem CL. Gronovius lib. II. Obser- cap. 10.

Cap. 48. *Videris.*] vide N. Heinsii notas ad Ovid. Pont. lib. 1. ep. 2.

Cap. 49. *Itaque Hercules.*] *Harcula* vet. cod. *Hercula* al. Itaque *è percula*, sive placet *pergula*, hoc est, paupertina domus Lipsius lib. 1. Antiq Lect. cap. 8. Nob. Heinsius malit. *Itaque in pergula*, optimè. Diogenes Laertius lib. IX. adeo studio-

studiosum fuisse Democritum auctor est, ut ex vicino hortulo sibi *pergulam* seligeret, ibique se ipsum includeret, verba ejus sunt: ὥστε ἐκ περιοικήπου δωμάτιόν τι ἀποτεμόμενος κατάκλειστος ἦν. Suetonius utitur & hac voce lib. de Illustr. Gram. cap. 18. uti de Lucio Crassitio: *Hic initio circa scenam versatus est, dum Mimographos adjuvat. Deinde in pergula docuit.* Idem in Augusto cap. 94. Theogeni Mathematico *pergulam* fuisse refert. sed hic non tam paupertinam domum, quam quidem ædiculam aëri expositam, sub dio in publicum spectantem significat, quales amare solent cœli syderumque contemplatores.

Chrysippus ut ad inventionem sufficeret] *Ut ad inventionem sufficeret rerum* Leid. cod. probè. Cic. 1. Tusc. Quæst. cap. 45. *Permulta alia colligit Chrysippus, ut est in omni historia curiosus.*

cap. 50. *Et mendacium in damnum potens*] Nob. Heinsius legit, *& mendacii.* Et paullo post, *liberæ ponti jubæ.*

cap. 51. *Vocarent*] Nescio an non melior Leidensis codicis scriptura, quæ exhibet *Vocaret*, Eumolpus scilicet me.

cap. 52. *Demum*] *deinde* Leid. cod.

cap. 53. *Vile est, quod licet, & animus errore lentus injurias diligit*] *lenitus* alii ut infra cap. 67. *Flectile ergo mentes satisfactione lenitas.* CL. Johannes

 Geor-

Georgius Grævius malit *lætus*. Eleganter Seneca lib. III. de Benef. cap. 3. *Prima omnium ac potissima, quod novi semper cupiditatibus occupati, non quid habeamus, sed quid petamus, inspiciamus: non in id quod est, sed quod appetitur, intenti. Quidquid enim domi est, vile est.*

cap. 54. *Et jam semicinctio stantem ad parietem spondam vinxeram*] Hæc Gonsalii emendatio, quam in textum recepit. Vett. Edit. habuere: *Et hemicyclo stantis ad parietem spondæ junxeram*: Aliæ, *stantis ad parietem spondam*. Desperatum locum legendum puto: *& jam semicinctio me stanti ad parietem spondæ vinxeram.* Paululum antequam cervices nodo condebat Encolpius, zona seipsum alligaverat stanti spondæ, quam de grabato ad parietem erexerat. Sic enim cap. seq. Diversitor: *Rogo*, inquit, *ebrii estis, an fugitivi an utrumque? Quis autem grabatum illum erexit? aut quid sibi vult tam furtiva molitio?*

Et semel, iterumque] *& semel atque iterum*, Mem. cod.

cap. 55. *Sequitur abeuntem*] *sequiturque abeuntem*, omnes scripti.

cap. 56. *Ansa hostii disrupta*] Nonnulli ex Vett. *ansa ostioli rupta.*

cap. 57. *Culcitam*] *culcitram* Leid. cod. & sic cap. seq.

Sicut olim Ulyxes pro ariete adhæsisset]

in ariete, unus ex ſcriptis. D. Munckero legendum videtur *imo ariete*. In antiquis exemplaribus fuit, *ero arietis*, unde Illuſtris Nicolaus Heinſius in ſuis ad me literis putat ſcripſiſſe Petronium, *utero arietis*. Illa Ulyxis hiſtoria ſatis nota.

Clauſtrorum firmitatem laxavit] *infirmitatem* V. C. Anonymus ad oram cod. ſcripſerat: *fortean legend. clauſtri omnem firmitatem*. Nihil tamen muto.

Secures] Eleganter ſecures, non nominato alio telo, quaſi ut victimam illum mactaturus quod olim in more poſitum, brevi videre erit apud Clariſſ. Paullum Merulam in Libro de Sacrificiis & Feſtis Rom. Diebus; ſi melior edendi illum cum aliis nonnullis MSS. dabitur occaſio, quam nuper me abſente nacta fuit Romanorum ejuſdem de Comitiis Hiſtoria.

Præbeo, ecce, cervicem] Proprium hoc & genuinum ea in re verbum. Sic eleganter apud Naſonem lib. IV. de Ponto: Eleg. IV.

Colla boves niveos certæ præbere ſecuri.

Et Faſt. lib. I. ℣. 83.

Colla rudes operum præbent ferienda juvenci.

Quem poſt.] Non video, quomodo hoc cum præcedentibus cohæreat. Scribendum itaque, *quem ante*, &c.

cap. 58. *Cauponi*] *cauponis*, cod. Pithœi.

cap. 59. *Sine cicatrice*] Sic ſupra. *Sine dolore* Leid. cod. Nil muta. Mox idem cod. *ecce enim.*

Aſt ubi ea] τὸ *ea* delendum cenſet D. Munckerus meus.

cap. 60. *Fraudavique animum diſſidentem*] Douſa P. primus vidit hic legendum eſſe *deſſidentem.*

Palpitantem] *palpantem*, Mem. cod.

cap. 61. *Super meum pectus poſitus*] *ſuper pectus meum poſitus diu.* Leid. cod.

Niſi per te licet] Optimè Leid. cod. *niſi per te non licet*; hoc eſt, niſi certa mors à te non impeditur.

Jubet quemque ſuam ſententiam proponere] Placet Leid. cod. lectio *promere.* Neque aliter legendum apud Plinium in Panegyr. cap. 65. *Jubes, quæ ſentimus, promere in medium? proferemus.* Cic. ad Attic. l. IX. *Nunc certe promenda tibi ſunt conſilia.*

cap. 62. *Fuga quæreretur*] *Fuga quoque quæreretur.* Leid. cod.

Comitatum] Illuſtris Scaliger ad Leid. cod. oram notarat *conatum.*

Et non natione] Nobiliſſ. N. Heinſius; *ut non una ratione mendacium conſtet* ingeniosè. Paulo poſt D. Munkerus; *nec veſtem atramentum adhæſurum, quæ frequenter etiam non arceſſito ferrumine inficitur.* Hæc emendatio mihi quam maximè arridet.

Nun-

Nunquid & crura] Pete loci hujus interpretationem ex Clariſſ. Iſaaci Voſſii, ſpectatæ eruditionis viri litteris, ad Celeberr. Joh. Georg. Græviuм, exhibitis in Heſiod. Lect. p. 137.

Numquid barbam peregrina ratione figurare] lege *numquid & barbam*, * ſic Mem. cod. nonnulli ex ſcriptis exhibent *peregrinatione*; quam lectionem ex Suetonii loco in Ner. cap. 51. tuetur Gonſalius. Nihil tamen muto. *Pari ratione* Nob. N. Heinſius.

cap. 63. *Liberali manu duxit*] *litterali* Mem. cod.

cap. 64. *Quid quæris?*] *quem* Mem. & Pith. cod. *quod* alii, hoc eſt quoniam. Cicero ad Q. Fratrem l. 3. ep. 5. *Quod quæris, quod illis libris egerim, quos, quum eſſem in Cumano, ſcribere inſtitui.*

Baiſtor aſylo notaveram] omnes ſcripti. Unde Gonſalio legendum videbatur *Bajis ter ſtylo*: non ſequor. Emendat Illuſt. N. Heinſius; *quod Baiis in periſtylo notaveram.* De peryſtiliis videndus Vitruvius.

Divinæ mentis opera damnare] *arcana opera damnare* Mem. cod. Forte legendum; *divinæ mentis operta ac arcana damnare?* Nobiliſſ. N. Heinſius *arcana operta.*

cap. 65. *Non adumbratæ*] *Ne adumbrata* Leid. cod.

Spartana nobilitate] Alludit ad Lace-

dæmoniorum morem, apud quos quotannis nobilissimi etiam pueri ad Dianæ aram loris flagellabantur; quorum nunquam ullus exclamavit, neque ingemuit quidem, qua in patientia summam virtutem ponebant. Hinc Horatio --- *patiens Lacedæmon.*

Non solum ergo turbata est] *non sola* Anonymus ad Tornæs. Edit.

Homo prudentissimus] *pudentissimus* alii corrigunt; perperam meo quidem judicio: ad Ulyssem respicit noster, non ad Lycam.

Contumeliam aliquam] Cod. Mem. *antiquam*. forte *tanquam*

Cap. 66. *Contumeliarumque*] *injuriarumque* cod. Mem. in quo mox *habere curam.*

Cap. 67. *Æqualis cum fronte calvities*] Doctiss. Munckerus legit: *æquali cum fronte calvitie*, & tollit punctum post τὸ *inveniebam.*

Novaculam infestam] *infectam* alii, rectius.

Quod mirabatur] *minabatur* Leid. cód. & Vett. Editiones probe.

Non tralatitium] Non vulgare. *Stlatarium* alii, quod de iftis proprie rebus dicitur, quæ mari portata sunt & quasi Stlata advecta, de qua voce videndus Festus. Hinc Juvenalis illud Sat. vij. vers. 133.

Spondet enim Tyrio Stlataria purpura filo.

Cap. 68.

Cap. 68. *Tabulas fœderis*] Unus ex ſcriptis habet *fidei.*

Et ut nihil] *ut tu nihil* Leid. cod. ſcribe; *& ut tu nihil imperabis.* Sic paullo poſt: *Item, Lyca, ex tui animi ſententia, ut tu Eucolpion nec verbo contumelioſo inſequeris.*

Cæpitque capillorum elegidarion dicere] *Capitque in capillos ſuos elegidarion dicere*, cod. Leid.

Cap. 70. *Quam cito etiam filiorum obliviſcerentur*] male *filiorum*; hocque vel ex uno J. Sarisberienſi evidentiſſimè patet, qui, ut aliis locis ipſum Arbitri ſenſum expreſſit, ſic procul dubio & hoc: lib. VIII. c. ij. ſcribit: *quam cito obliviſcantur affectuum.* Legendum olim putabam *virorum*, ut ex ſeqq. patebit. Nonnullæ Editt. *philorum* præferunt à Græco φίλος. Doctiſſ. Th. Munckerus emendat; *quam cito & cariſſimorum obliviſcerentur.* Noſter c. 72. *ut eodem tempore duorum mihi cariſſimorum hominum duo funera ſpectem.*

Cap. 70. *Proxima ergo nocte*] *proximæ vero nocte quum miles, qui cruces aſſervabat* Leid. cod. *Proxima autem* cod. Mem.

Vitio gentis humanæ] Forſan ſcripſit Arbiter *mentis humanæ.* Sic Saluſt. Jugurt. Bel. *More humani ingenii cupido, ignara viſundi, animum vertit.* Apul. lib. IV. Florid.

Propius accessit, ut etiam cognosceret more ingenii humani, quinam esset.

Eundem exitum] *communem exitum* vet. cod.

Donec ancilla vini certe ab eo odore corrupta] Sic Trag. cod. & Editt. nonnullæ. *donec ancilla vini odore corrupta* Mem. cod. *incertum an odore corrupta* Bongarsii cod. Forsan legendum; *donec ancilla, incertum, an ab vini odore corrupta*. Clariss. Gronovius in Observ. ad Script. Eccl. c. XV. legit; *donec ancilla vini nectareo odore corrupta*; quem adi.

Cap. 71. *Ne hanc quidem mulier partem corporis abstinuit*] vitiosus locus quem ingeniosè hoc modo emendat Nobiliss. Heinsius; *ne hæc quidem puerilem partem corporis abstinuit, victorque miles utrumque persuasit*. Puerilis pars, idem est ac *posterior*, quomodo ab Hieronymo vocatur lib. I. adv. Jovianum. *puerile corollarium* vocat Apul. l. III. Metam. Martialis l. IX. Epigr. LXVII.

Lascivam tota possedi nocte puellam,
Cujus nequitias vincere nemo potest.
Fessus mille modis illud puerile poposci:
Ante preces totas, primaque verba dedit.

Sic lego cum vett. edit. non *nulla potest*, ut cum Palatin. MS. Scriverius.

Sed postero etiam] Lege cum Mem. cod. *Sed & postero etiam ac tertio die.* Po-

Poterat] *habere poterat* Samb. cod. & quatuor alii.

Detraxere] *detraxerunt* Mem. & Leid. cod.

At miles circumscriptus] *Circumpectus* duo cod. *circumspectus* ex nostris unus & alii vett. teste Erhardo; quomodo legendum esse dudum me monuit Nobiliss. Heinsius. Rectè & ironicè, ut multis locis noster. Hic enim militis ignaviam non tralatitia elegantia ridet Arbiter, ut paulo post mulieris misericordiam & pudicitiam. Mox malim cum cod. Leid. *desidet*; quod de eo propriè dicitur, qui ab aliquo missus ultra debitum moratur. Sueton. in Jul. c. 2. *Stipendia prima in Asia fecit*(loquitur de Cæsare) *M.Thermi prætoris contubernio; à quo ad arcessendam classem inBithyniam missus,desedit apud Nicomedem non sine rumore prostratæ regi pudicitiæ.*

Nec istud] *ne istud* Nobiliss. N. Heinsius.

Hominum duo] Leid. & Mem. cod. has voces non agnoscunt.

Cap. 73. *Mulierem adfigere cruci*] & *m. a. c.* Mem. cod. placet.

Spoliatum crinibus vultum] *Spoliatis* Mem. cod. male. Vide quæ nos ad cap. XXX.

Dum ancilla] Quæ minimis hic litteris,

humanissimè Lector, & hoc & aliis in locis descripta vides, scito conjecturas & supplementa cujusdam Editoris non Petronii esse. Locus hic in scriptis depravatus & frustra in multis editionibus à variis tentatus, ut opinor, sic forsan restituendus: *si quid ingenui sanguinis habes, non pluris illam facies quam spuriam; si vir fueris, non ibis ad spurcam*, vel *spurcum*. Huic occasionem emendationi præbuit Cato, has voces conjungens lib. Orig. *Græci tam impudenti jactantia jam effunduntur, ut quoniam his dudum nemo responderit, ideo libere à se ortam Italiam & eandem spuriam simul & spurcam atque novitiam nullo certo autore, sed per solam insaniam fabulentur.* Non. Marcellus in *Spurcum. Spurcum significat obscœnum, impurum, lutulentum.* Plaut. Asinar. *Tot noctes reddat spurcas, quot puras habuerit.* Cicero pro Domo cap. 10. *Scilicet tu helluoni spurcissimo, prægustatori libidinum tuarum homini egentissimo & facinorosissimo, Sex. Clodio socio tui sanguinis, qui* &c. Non audiendus hic Lambinus, legens ex S. Victoris cod. *impuratissimo*, aut Gulielmius, *spurcatissimo*, emendans.

Cap. 74. *Quemadmodum quidem soles*] Forte *quondam*; Aliquis ad oram libri: placet & eo magis, quia mox: *& illam quidem*, &c.

Quæ

Quæ ultimum est] *quod u. e.* Leid. cod.

Cap. 75. *Orcam mugientem*] Illuſtris Scaliger legit *poëtam mugientem*. Mallet Doctiſſ. Th. Munckerus *poëtam mutientem*; quod admodum arridet. Eſt enim *mutire* confuſum aliquem & obſcurum edere ſonum: quod à meditabundis ſæpe fieri videmus.

Viventibus oculis] *humentibus* alii, recte. Sic Claudianus, Suetonius & Ovidius l. XI. Metam. verſ. 464. - - - - *Suſtulit illa Humentes oculos*.

Error inde natus, ut exiſtimat Doctiſſ. Munckerus noſter, quod primitus ſcriptum fuit *umentibus* neglecta aſpiratione; ut in veteri Inſcript.

ET. QUICUNQUE. TUIS. UMOR LABETUR. OCELLIS.

J. Lipſius legit *uventibus*; neſcio, an melius. quanquam non ignoro, Catullum Ep. LXVII. *uvidulam à fletu* dixiſſe. quo loco non audiendus Palmerius, *fluctu* emendans.

Manu pectus] *manibus* cod. Leid.

Opes fraudibus captas] *partas* al. Forſan melius *raptas*.

Finxit] Amicus noſter non è multis Rev. D. Matthias Oeveringius mallet hic *fixit*: quod notam hanc quantitatis, virgulam transverſam, olim ſyllabis imponi ſolitam, erroris occaſionem ducat.

Unde

Unde fluxit ut *totiens* pro *toties* & multa alia, de quibus adeundos Lipsius.

Cap. 76. *Nec ad cænas*] hæc Bongarsii emend. omnes scripti *scenas*.

Id est soli militares] *hii soli m.* cod. Mem. Forte *hi*.

Cap. 77. *Divinationis*] *Divitionis* cod. Mem. Janus Gruterus *divitationis*. Nobil. N. Heinsius *diæ rationis*, vel *genusque liquidæ rationis*.

Vestis humaniorque] Ita correxit primus Dousa P. antiqui Codd. habuere *vestis humanior, vestimentum latius, quod præberet mendacio fidem*. Unde J. Gulielmio *lautius* emendare placuit Plaut. Quæst. p. 145. Forsan probe Leid. cod. *instrumentum latius* hoc est nitidior supellex: quo sensu sæpe apud Just. ut l. XXI. c. 5. ubi de Dionysio, Syracusis expulso: *tunc deposito imperio arcem Syracusanis cum exercitu tradit, receptoque privato instrumento Corinthum in exilium proficiscitur* & sic l. XV. c. 1. & aliis locis.

Mimum componere] Ita J. Gulielmus emendavit; cui lubens concedo, nihil verius Apollinem Delphis profatum unquam. Omnes quos vidi. codd. *in unum* male præferunt. Sic *compositam fallaciam* Plauto & *compositum figmentum* Macrobio, cui veram nuper lectionem asseruit Erudi-

tiss.

tiss. Jacobus J. F. F. Gronovius lib. 1. in Somn. Scip. c. 11. *& compositi advocata scena figmenti ipsam quærendi veri januam mendacio polluerunt?*

Ut sit modo solutioris stomachi] Legend. *ut sit morbo s. s.* Hanc lectionem ad Tornæs. edit. notaverat nonnemo. Celsus lib. IV. c. v. ubi de Stomachi morbis; *vulgatissimum vero, pessimumque Stomachi vitium est resolutio, id est, quum cibi non sit tenax, soletque desinere ali corpus, ac sic tabe consumi.*

Quæ bene.] *quod* omnes, quos vidi.

Cap. 78. *Sed intecto vestibus colore niteant*] *Sed intexto versibus colore* Samb. cod. *intecto vestibus* Mem. cod. *sed ut intexto versibus* V. C. Lego, *sed ut intexto vestibus colore niteant.* Quo juvat Trag. cod. scriptura *sed intexto vestibus c. n.*

Cap 79. *Orbem jam totum.*] Lactant. l. V. c. ix. *Populus ipse Rom. per feciales bella indicendo & legitime injurias inferendo, semperque aliena cupiendo atque rapiendo possessionem sibi totius orbis comparavit.*

Assyria concham] *Aes pireum* Samb. & Trag. cod. *Ac sepiretum* Leid. *pirecum* V. C. Legend. esse me monuit Nobiliss. N. Heinsius: *Æs Ephyreiacum laudabat miles in umbra.* Sub arborum umbris in porticibus, ubi spatiabantur Romani stabant imagines fictæ ex *ære Ephyreiaco*, hoc

hoc est, Corinthiaco. Interpres Apollonii Ἐφύρα, ἡ Κόρινθος ἀπὸ Ἐφύρας τῆς Ἐπιμηθέως θυγατρός. Virg. Georg. II. *Ephyreiaque æra.*

Quæritur in sylvis Mauris fera] *Mauri* alii, quod rectius puto.

Quæque virum quærunt] Nob. N. Heinsius legit: *virque virum quærit.* Ovid. l. I. Artis Amatoriæ vers. 524

Et siquis male vir, quærit habere virum.

Ecce Afris] Cl. Gronovius observat. l. III. c. xj. emendat hos versus:

——— *Ecce Afris eruta terris*
Ponitur ac maculis imitatur vilius aurum,
Citrea mensa, greges servorum, ostrumque renidens:
Quæ turbant censum, hostile ac male nobile lignum.
Turba sepulta mero circumvenit.

Extruit] *esurit* duo codd.

Namque hoc dedecus est Pop.] *Namque hoc dedecori Pop.* quinque scripti. Nihil tamen muto.

Perdita Roma.] *prodita* unus cod.

Cap. 80. *Astra gemunt*] Illustr. N. Heinsius legend. existimat *Astra premunt.* Opinabantur nimirum plerique veterum, astra inniti cacuminibus montium. De Atlante, cælum humeris sustinente, nota fabula est.

Cap. 81.

Cap. 81. *Et mihi cordi*] Amicissimus M. Oeveringius noster legend. putat; *est mihi*: secus enim frustra illud & redundaverit.

Cerno equidem gemina jam stratos morte Philippos] Legendum:

Cerno equidem gemino jam stratos Marte Philippos.

Consule N. Heinsii notas ad Ovidianum illud XV. Metam. vers. 824.

Emathiaque iterum madefacti cæde Philippi.

Cap. 82. *Recens descendit Jupiter*] Ingeniosè in suis ad Ovid. Notis l. XII. Metam. vers. 81. veterem nostro restituit lectionem N. Heinsius *repens*. Sic *repens fulminis* ictus Lucr. l. V. *repens hostium adventus* Cicer. l. III. Tusc. Quæst. & *repens belli Gallici fama*. Liv. l. VI.

Qui bella volunt] al. *vident*, minus recte. Unus ex scriptis *jubent*; quomodo legend. esse dudum monuit J. Gulielmius, Quæst. in Plaut. Mostell. c. IV. Est hoc comitiale verbum, ut indicat formula, qua rogabant; VELITIS. JUBEATIS. QUIRITES.

Cap. 83. *Cæsar & insolitos*] Legit hunc versum amicus charissimus Matthias meus Oeveringius.

Cæsar & insolito gressu prior occupat hostis.

Hoc autem facilè immutatum ex *haustus*, quod in multis Codd. *In-*

Interea volucer] *volucris* Mem. cod.

Sævi quoque terror Hydaſpis] *Sævique repertor Hyd.* Mem. Trag. & V. C.

Cap. 84. *Ingenti volubilitate verborum*] Lege cum tribus ſcriptis *ingenti verborum bile*. Sic ſupra cap. 50. *ſi ejuras hodiernam bilem, una cœnabimus.*

Cap. 85. *Si etiam mercenarius*] *ſi etiam mercenarius Eumolpi* Leid. cod. placet. ſupra c. 54. *hæc locutus mercenario Eumolpi novaculam rapit* &c.

Invidioſa] *ambitioſa* Mem. cod.

Cap. 86. *Oculorum quoque mollis petulantia*] Erhardus legit *quoque mobilis*, quod in textum recipere auſi ſunt Editorum nonnulli. Mollis oculorum petulantia eſt ſoluta oculorum laſcivia. Sic Ovidio *molles oculi*, Catulloque *ebrii ocelli* & Horatio *putricis oculi* & alibi; *vultus nimium lubricus aſpici*, ut & *grata protervitas*. Juſtin. l. I. cap. iij. ubi de Sardanapalo, viro muliere corruptiore; *cum mollitia corporis & oculorum laſcivia omnes fœminas anteiret*, &c.

Quo inceſſus tute compoſitus] Nobiliſſ. N. Heinſius ingeniosè, ut ſolet omnia, genuinam lectionem noſtro ſic reſtituit; *quo inceſſus, ſcite compoſitus.*

Diſcordem libidinem] Omnino legend. *diſſortem*, ut docuit Illuſtris Heinſius ad

1 A.

I. A. Sabini Epift. verf. 35.

Non ferus Antiphates, nec in uno corpore diſſors
Parthenope.

Logis] *jocis.* Leid. cod. forſan ex gloſſa.

Produceret Dominam] *Duceret* Frag. Trag. & Codd. nonnulli, quam lectionem præfero eo magis, quia mox; *nec diu morata Dominam producit è latebris.* Verum ne quid diſſimulem, ſcribendum opinor: *rogavi ancillam, ut in platanona deduceret Dominam.* Neque aliter ſolet Noſter. ſupra c. 45. *Jam ego cœperam ephebum in gymnaſium deducere.* Sic ibi legendum. c. 60. *Imo, inquit Giton, perſuade gubernatori, ut in aliquem portum navem deducat.* & aliis locis.

Stricturam] *Scripturam* al. *juncturam* unus.

Cap. 87. *Inquirere*] *quærere* Leid. cod. probè. Sic legendum eſſe, dudum vidit Lipſius, qui mox; *& ſororem adoptare eodem gradu veniæ?* corrigit. Adi Antiquar. Lect. lib. III.

Mihi eum.] *Illum* Cod. Memmii.

Ut putares inter auras canere Syrenum concordiam] *inter aures* V. C. *intus aures* Samb. Cod. *in auras* al. locus corruptus, quem hac me via ſanaſſe exiſtimo: *u. p. in terris canere Syrenum concordiam.*

Circen vocari] Nescio, cur omiserint Editores nonnulli τὸ *me*. Ubi omnes tamen meliores membranæ, *Circen me vocari*.

Dum placet] Rectè Dousa P. *quum placuit* emendat. τὸ *placuit* agnoscit Mem cod. Mox Clariss. Gronovius legit. *currum*. Vide Observ. lib. I. c. ij.

Varie gramine] Omnes, quos vidi, scripti exhibent *vario gramine*.

Cap. 88. *Thesaurosque rapit* &c. Post hunc versum Leid. cod. hoc auctior:

Candidiorque dies secreto favit amori.

Illustris Scaliger ad oram: *In duobus* V. C. *non inveni: & irrepsit sine dubio.*

Et mentem timor altus habet] *Pectora terror habet*, ait Ovidius, quomodo & Maro:

Quod si tantus habet mentes & pectora terror.

Daret Sermonibus locum] Omnibus fieret fabula.

Quid tandem agas] *tamen* Mem. Leid. & Trag. codex. lectio etiam tolerabilis: consule Notas ad cap. 31. Neque forsan aliter scribendum ac distinguendum Ovidianum illud in ipso operis initio:

Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulysse,
Nil mihi rescribas, at tamen ipse veni.

Si vis sanus esse Gitona roga] Quid rogaret

ret Gytonem? ut non ad licentiam cum illo rediret, vel ut secum dormiret, & sibi pateretur satisfieri. In nonnullis codicibus scriptum est *Gitonem*, unde legendum suspicarer, *si vis sanus esse, Gitona ne roga*, quod etiam consilium secutus est Polyænos, noxissimum postquam corpus diligentius curasset, modica postquam unctione usus cibisque validioribus bulcis scilicet, cochlearumque sine jure cervicibus pastus esset, postquam merum parcius hausisset: Sic ipse loquitur cap. 90. *Hinc ante somnum levissima ambulatione compositus, sine Gitone cubiculum intravi. tanta erat placandi cura, ut timerem, ne latus meum frater convelleret.* Nob. Nic. Heinsius legit *Gitoni te nega* vel *Gitonem abnega*.

Cap. 90. *In hæc facinora quære supplicium*] *In hæc mala facinora quære supplicium* Leid. cod. rectè, sic alibi, *grande facinus*, & *indignum facinus*.

Sive verberibus Contenta es] In candidis carminibus elegans Poëta Tibullus.

> *Non ego me vinclis, verberibusque nego.*

Paratus miles arma non habui] Lege cum Leid. cod. *Parata miles arma non habui*. Si hanc lectionem operosius veram probarem, omnino te violarem, o pudor!

Tanquam major] *tanquam jam major* Leid. cod. rectè.

Cap.91. *Signat*] *Signavit* Leid. cod. huic loco infere diftichon illud.

Dum vivis, ſperare licet: tu ruſtice cuſtôs
Huc ades, & nervis tente, Priape fave.

Ingenti motu] *metu* Leid. cod. Gonſalius auſus eſt edere *ingenti tumore* ſecundum Tibullianum illud.

Et inquietus inguina arrigat tumor.

Nobilis æſtivas platanus] Nob. Nicolaus Heinſius me docut hic legendum eſſe *Mobilis*, hoc eſt, vento agitata. Neque aliter apud Statium ubi perperam vulgo *nobiles ſylvæ* lib. IV. Sylvar. in Domitiana via;

Fervent littora, mobileſque ſylvæ.

Dignus amore locus] Illuſtris N. Heinſius ad Ovidii Metam. lib. VI. verſ. 468. cum optimis membranis,

Dignus amore locus, teſtis ſilveſtris aëdon,
Atque Urbana Procne.

Et molles violas] Sic loquitur & Maro Ecloga v.

Pro molli viola, pro purpureo narciſſo.

Et Æneid. XI. verſ. 69.

Seu mollis violæ, ſeu languentis hyacinthi.

Oculos

Oculos meos] *suos* Leid. Mem. & Vet. cod. nescio an non melius, præ pudore scilicet, sic Cap. 73. *Risu excepere fabulam nautæ, erubescente non mediocriter Tryphænâ, vultumque suum super cervicem Gitonis amabiliter ponente.*

Cap. 92 *Et me jubet catorogore*] Nob. Nicolaus Heinsius emendat, *Et me jubet catomis objurgari.* Supra cap. 34. *Animadvertit Trimalchio, colaphisque objurgari puerum jussit.* Olim legendum hariolabar: cum C L. Salmasio *& me jubet catomidiari.* Sic apud Spartianum Hadrianus *Decoctores bonorum suorum catomidiari in amphitheatro jussit.*

Nullis precibus] Lege cum Mem. cod. *multisque precibus.*

Salvo pudore] *honore* habet Memmii codex.

Quid dicis, inquam.] Supra cap. 9. *Quid dicis, inquam, muliebris patientiæ scortum, cujus ne spiritus purus est.*

Quis vetat] Legendum *quid vetat.* Consule Nob. N. Heinsii Notas ad Ovidii Epist. X. vers. 86.

> *Quid vetat & gladios per latus ire meum.*

Ipse pater veri] Nob. Nicolaus Heinsius sic constituebat hunc locum.

> *Ipse pater Veneri dictis Epicuris in hortis*

Lusit, & hanc vitam dixit habere Deos.

Cap. 93. *Sitoque*] *positoque* manu scripti.

Vestifluus] *Septifluus* tres scripti.

Cap. 94. *Marscarpionem*] *Masturbatorem* Sambuci codex. *marscarpionem* Trag. cod. & Vett. nonnulli: unde Nob. Heinsius, *marsupionem* pro marsupium, marsupio. Sic saxiperium pro saxiperio, & sexcenta alia.

O, inquit, ô Enothea] Scribe *o, inquit, OEnothea* cum Leid. cod. & sic aliis locis. In Sambuci codice legitur *Genotheas*, sed male.

Adolescentulus] *adolescentulus tuus* Leid. cod. rectè.

Lunæ descendit &c.] Eleganter Tibullus lib. 1. Eleg. 2

Hanc ego de cælo ducentem sidera vidi:
Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter &c.

Phœbeia Circe] *Phœbeaque Circe* Mem. & Leid. cod.

Cap. 95 *Quare vivis implevit carbonibus*] Sic rectè legitur, malè in duobus *binis*. Sic in Pertinace Capitolinus *vivacissimi carbones* dixit

Impositum Cereris vacuæ nemus] Nob. Nicolaus Heinsius me hic legendum esse docuit:

Im-

Impositum Cereris flavæ penus.

Sic *Flava Ceres* sæpè apud Poëtas, Virgilius lib. I. Georg. vers. 96.

——— *Neque illum*
Flava Ceres alto nequicquam spectet
Olympo.

Ubi Servius: *Flava dicitur propter aristarum colorem in maturitate.* Tibullus lib. I. Eleg. I.

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Ovidius III. Amor. Eleg. x.

Flava Ceres, tenues spicis redimita capillos,
Cur inhibes sacris commoda nostra tuis?

Ausonius ad Theodosium.

Agricolam si flava Ceres dare semina terræ.

Fortuitoque luto claris numerabat agrestis] duo codd. *clausos* habent, alius *avos*: Leidensis *clavus*. *Agrestes* tres scripti. Optimè ergo emendat CL. Gronovius lib. II. Observat. cap. v.

Fortuitoque luto clausos umbrabat agrestes.

Cicero II. Tuscul. *Quæ cæteris in urbibus mollissimo cultu parietum umbris occuluntur.* & Claudianus:

Umbratura Deam retro sinuatur in arcum
Bellua.

Præ-

Præterea quæ] *quam* Mem. cod. unde Doufa P. *quas*.

Cap. 96. *Et coæquale*] *& dum coequale* Mem. cod.

Cucumæ] *cucumelæ* tres fcripti. quæ lectio etiam tolerabilis, licet hanc fuperiori capite *cucumam ingentem* appellaverit, ubi & *focum* dixerit, hic vero *foculum*.

Fædeque] *fædoque* meliores.

Herculea arte] *Herculea audacia* Juftinus in Præfatione.

Vifa fuas] Nullus manu exaratus codex hunc verfum agnofcit.

Caffis arundinibus] *quaffis* Leid. cod.

Cap. 97. *Unde poffitis & deos & anferes emere*] *& duos anferes* Leid. cod. Atque ita conjectaveram, prius quam is ad manus meas perveniffet.

Quisquis habet nummos] Diverfa tradit Salluftius in Orat. I. de Rep. Ord. *Id ita evenit, fi pecuniæ, quæ maxuma hominum pernicies eft, ufum, atque decus dempferis.* &c. Ita hîc puto legendum, non *omnium*, ut hactenus in vulgatis. Eleganter ad mentem Arbitri Propertius lib. III. Eleg. x.

> *At nunc defertis ceffant facraria lucis,*
> *Aurum omnes victa jam pietate colunt.*

Aurea

Aurea nunc vere sunt secula, plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.
Auro pulsa fides, auro venalia jura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Fortissimum jecur] Nob. N. Heinsius me docuit legendum esse *fartissimum jecur*, quomodo apud Ciceronem & alios.

Cap. 98. *Prehende furem*] supra cap. 14. *magnaque vociferatione latrones tenere clamavit.*

Lividinantium] *libidinantium* tres codices unde Dousa P. *litigantium* ad oram Tornæs. edit. Doctiss. Th. Munckerus emendat *vitilitigantium*, quod cum indicassem Illustri Heinsio, respondit, se & hoc dudum suis in Adversariis annotasse.

Cap. 99. *Teneo te*] Formula est, qua utebantur, cum sibi nec opinantibus aliquis occurreret. Terent. Heaut. Act. II. Sc. iij.

A. *o mi expectate Clinia, Salve. C. L. ut vales?*
A. *Salvom advenisse gaudeo. CL. teneone te*
Antiphila, maxumè animo exoptata meo?

Cap. 100. *Commendare liberos suos*] optimus Memmii codex non agno-

ſcit *ſuos* quod jam monuit Douſa P.

Lumborumque] Catullus ep. 18.

Qui duros nequeunt movere lumbos.

Socrates Deorum hominumque judicio ſapientiſſimus] Sic ingenioſe lacunam primus ſupplevit Ampliſſimus Janus Rutgerſius lib. VI. Var. Lect. cap. viij. Ita locuti ſunt Vitruvius lib. III. in initio Præfationis, Apulejus lib. de Deo Socratis pag. 51. Valerius Maximus lib III. cap. iv. Ext. 1. ſecundum Pythiæ illud:

Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος.

Sic homines non caperentur ſpe, niſi] Diſtingue cum vet. edit. *ſic homines non caperentur, niſi ſpe* &c.

Cap. 101. *Et familia tua.*] *tua* non agnoſcit Leid. cod.

Liberos] *libertos* cod. Leid.

Carnem facerent pejorem] Vide Kirchmannum cap. ij. Appendicis ad Libros de Funer. Rom.

Excæcabat ingens fama oculos] *pecuniæ ingens* Leid. cod. & duo veterum, quid ſi legamus, *Excæcabat pecuniæ ingens fames oculos.* Sic *Auri fames* apud Senecam, & Virgil. lib. III. Æn. 57.

——— *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri ſacra fames.

Hora-

Horatius eleganter lib. II. Odar. 16.

Crescentem sequitur cura pecuniam
Majorumque fames.

Petavii] Illustris Josephus Scaliger ad oram Leidensis codicis scripserat, *Perusii*, quis non videt hanc, genuinam Petronii scripturam esse? Perusia Tusciæ urbs est, ab Achæis prope Thrasimenum lacum condita, in qua L. Antonius, pulsus Cæsaris viribus, se contulerat, quam tandem, non nisi, turpi fame coactam, expugnavit Augustus. Ut tradunt Livius in Epitome lib. 126. Suetonius in ejus vita cap. xv. Florus lib. IV. cap. v. Confirmat magni viri emendationem Ausonius Epist. xxij. etiam æque ac Arbiter Saguntinos & Perusinos conjungens, cum canit:

Jam jam Perusina & Saguntina fame
Lucaniacum liberet.

Hinc *Perusina fames* Lucano. Ad miseram civitatis huius deditionem proculdubio respexit Propertius, circa finem lib. I. ad Tullum de patria sua sic scribens:

Si Perusina tibi patriæ sunt nota sepulchra,
Italiæ duris funerata temporibus,
Cum Romana suos egit discordia cives,
Sit mihi præcipuè pulvis Hetrusca dolor.

Massilienses] Vide ad hunc locum Do-

ctissimi Viri Abrahami Berckelii Notas ad Antoninum Liberalem circa finem p. 261.

Et sic projiciebatur]Legendum *proficiebatur*, hoc est, sacrificabatur, & immolabatur, & in partes dissecabatur ut docuit Petrus Daniel. Festus: *Proficium, quod prosecatum proiicitur.* Arnobius lib. VII. *Quod si omnes has partes, quas proficias dicitis, accipere dii amant* &c.

ADDENDA.

Pag. 4 Notar. lin. 8. Adde: Hic locus in mentem mihi revocat alterum Justini exstantem lib. IV. cap. IV *Ab his mittitur Gylippus, solus quidem, sed qui instar omnium auxiliorum erat.* Sic totus locus ex M S. codicis auctoritate scribendus: hanc etiam lectionem video præferre M. Isingrinii editionem Basileæ An. M. IↃ. XXXIX. procuratam, quam nobis dono dedit Præstantissimus Philippus Munckerus, vir, inter cæteras eruditi ingenii sui eximias dotes ad juvandam Remp. Literariam unicè natus.

Cap. 7. *AB eadem annicula esse deductum*] Omnino existimat Doctiss. Thomas Munckerus *seductum* legend. esse.

Cap. 28. *Adferretur*] Forsan proba Memmii codicis lectio *efferretur.* Seneca lib. de Brevit. Vitæ cap. 12. *Audio quendam ex delicatis (si modo deliciæ vocandæ sunt, vitam & consuetudinem humanam dediscere) cum ex balneo inter manus elatus, & in sella positus esset, dixisse interrogando, jam sedeo?*

Pag. 21. lin. 18. adde & cap. 73. *sed iratum commovens caput* & paullo post: *Interdum concinnabat spoliatum crinibus vultum.*

Cap. 34. *Ergo vivamus dum licet esse bene*] Fugitiva gaudia carpe, ait Martialis. Grut. inscript. p. D CC X C IX.

VIVE. HOSPES. DUM. LICET.
ATQUE. VALE.

Iterum ille ad Julium lib. II. epig. xvi.
Sera nimis vita est crastina; vive hodie.

Cap. 35. *De laserpitiario mimo*] Vir doctus legendum putat *vino*; veriorem tamen Illustris Viri emendationem existimo: quamquam apud Columellam huius mentionem extare non sum nescius lib. V. de R. R. cap. IX. *Nos exiguum ad modum* (de malo Punico serendo loquitur) *laseris vino diluimus, & ita cacumina arboris summa oblevimus, ea res emendabit acorem malorum.* Locum ideo in medium protuli ut ex illo alteri medicinam facerem, extanti Lib. de Arborib. cap. XXIII. ubi de eodem iisdem ferè verbis: *Nos exiguum ad modum* (sic scribendum, non junctim *admodum* ut perperam hactenus in vulgatis) *laser Cyrenaicum vino diluimus, & ita cacumina arboris summa oblevimus, ea res emendavit acorem malorum.* Mallem hic *emendabit*, ut priore loco ipse Columella. quem locum sic emendandum esse probavit Eruditissimus Wilhelmus Goesius, spectatissimum illud Senatorum decus.

Cap. 38. *An ut matrona*] *Aut ut*

Tornæs.

Tornæſ. Doctiſſ. Th. Munckerus legendum putat *Non ut*, quod mox ſubdat,

Smaragdum ad quam rem viridem, pretioſam vitrum.
Quo Carchedonios optas ignes lapideos
Niſi ut ſcintillent?

Cap. 48. *Chryſippus ut ad inventionem ſufficeret* Legendum exiſtimat Doctiſſ. Th. Munckerus meus, *Chryſippus ut ad inventionem ſufficeret acervi.* Chryſippus in Dialecticis quam maximè claruit, invenitque *acervum* ſive acervalem argumentationem, Tullio *Sorites* dictam: Hinc acervum cum Chryſippo ſæpe conjungunt Auctores. Perſius ſub finem Sat. ult.

——— *depinge, ubi ſiſtam,*
Inventus, Chryſippe tui finitor acervi.

Mart. Capella lib. IV. in quo de Dialectica, non longe ab initio:

Chryſippus cumulet, proprium conſumat acervum,
Carneadeſque parem vim gerat helleboro.

Sidonius Apoll. Carm. XXIII.

Non hunc, ſi voluit rotare rhythmos,
Quidquam propoſito virum morari
Chryſippus potuiſſet ex acervo.

Cap. 67. *Servitia ecce in frontibus cernitis*] Doctiſſ. Thomas Munckerus malit *ſtigmata*, ut paullo ante, & cap. 63. *Ut videamini ſtigmate eſſe puncti.*

Ac primum omnium] *At* cod. Leid. Reddenda hæc particula Valerio Maximo lib. I. cap. VIII. ext. 19. *At, quia ſupra uſitatam rationem excedentia attigimus &c.* ſic noſtra ex vetuſtiſſimo codice Excerpta. In vulgatis minus rectè legitur, *Quæ quia ſupra*, &c.

Pap. 254. lin. 3. Ego Gitoni. pag. 255. lin. 14. Hoſpites veluti conclamans. & lin. ult. Tum vocum concurſu facto. pag. 253. lin. 10. quando etiam ita de invitis fata ſtatuant. Hæc Supplementa cujuſdam editoris ſunt, non vera Petronii: minimis ergo edenda literis Typographo fuerant. Vide Notas ad cap. 73. *Dum ancilla* &c.

Cap. 93. *Templumque tuis imponis Hypæpis*] Doctiſſ. viro Th. Munckero omnino legendum videtur, *ſuis Hypæpis*: erat enim Lydorum oppidum. Quando autem templum in iſto oppido Priapo poſitum ait, ſatis indicat, id numini eius fuiſſe dicatum.

Pag. 357. in Frag. *Mycono*] Sic ſcribendum eſſe docuit Nob. N. Heinſius in Notis ad XXI. Heroid. epiſt. *Myconos* enim non *Mycone* dicta eſt hæc inſula.

Pag. 361. *Dum ſumit* &c.] emendat Illuſtris Heinſius hoc diſtichon in ſuis ad III. Art. Amat. lib. Notis:

Dum sumit cretea m faciem Sertoria, cretam.
Perdidit illa, simul perdidit & faciem.

Pag. 371. *Hic sum situs*] In Pacuvii Poëtæ verecundissimo Epigrammate, quod apud Aulum Gellium extat lib. I. capit. XXIV.

HEIC. SUNT. POETÆ. MARCEI. PACUVIEI. SITA.
OSSA. HOC. VOLEBAM. NESCIUS. NE. ESSES. VALE.

Tibullus lib. III. Eleg. II.

Lydamus hic situs est.

Ovid. II. Met. vers. 327.

——— *Signantque hoc carmine saxum:*
Hic situs est Phaëton, currus auriga paterni:
Quem si non tenuit magnis tamen excidit ausis.

AD PRIAPEIA.

Ad Lect. *Latio*] *Tatio* ex Membranis Scriverius castigavit.

Carm. 3. *Ducens ex Elephantidos libellus*] *dicans e. E. L.* scribendum: Vide N. Heinsium ad Claud. VI. Conf. Honor. vers 372.

Carm. 5. *Sim ligneus*] *Quod sum* quatuor codd. teste Nob. Heinsio in suis ad Ovidium Notis.

Carm. 15. *Rapuit Schœneida*] *cepit* Nob. Heinsius in Notis ad Ibin Ovidii.

Carm. 30. *Quarum si carpseris uvas*] lege *sed si quam carpseris uvam* ex emendatione Illustris Heinsii.

Carm. 33. *Turpe quidem factu*] *fatu* Vet. cod. Illustris Heinsii. Sic apud Virgilium *haud mollia fatu* libro IX. Æneidos.
amica manus] Martial. l. IX. ep. 42.

Pontice

Pontice quod nunquam futuis ſed pellice læva
Uteris, & Veneri ſervit amica manus.

Carm. 49. *Subducti noſtra ſupercilii*] Senecam epiſt. 48. *O pueriles ineptias! in hoc ſupercilia ſubduximus? in hoc barbam demiſimus* &c.

Carm. 63. *Rigetque dura*] Adi N. Heinſii Notas ad lib. III. Triſt. Eleg. X. Ubi duos poſteriores hujus Carminis verſus ſic ex Veterum librorum veſtigiis reſtituit Vir Illuſtris.

Quo tot figuras, quot Philænis invenit,
Non admovente, pruriosa discedit.

Carm. 76. *Penelopes primam*] In priſcis codicibus, *Penelopes primam Dido fac prima ſequatur*, reponit Nob. Heinſius *Didus*.

Carm. 82. *Dum vivis ſperare decet*] Quid ſi *licet* legamus? quod in nonnullis.

Carm.

Carm. 83. *Tuas sine*] *suas* legendum esse docuit Nobiliss. Heinsius.

FINIS NOTARUM.

SCRIPTORES
IN HIS
NOTIS
Citati, illustrati, emendati.

Ci-

Vir-

FINIS.

Errata.

Pag. 187. lin. 7. Cap. 50. p. 88. l. ult. Cap. 51. p. 248. l. 6. puerilem partem. p. 261. l. 1. ſcenas. p. 376. l. ult. *ſuperbus*.

IN PRIAPEIS.

Pag. 20. l. 2. *carpſeris*.

IN NOTIS.

Pag. 11. l. 18 reddendam. Cætera, ſi quæ ſint per te facilè emendabis benigne lector, & interim valebis.

